

**EXERCITATIO IURIS  
PUBLICI DE IURE  
IMPERII IN MAGNUM  
DUCATUM ETRURIAE  
QUAM IN ACADEMIA...**

---

Johann Jakob Mascov, Thomas : von  
Fritsch

BIBLIOTECA NAZ.  
Vittorio Emanuele III

XV III


D

17


NAPOLI

34

55







EXERCITATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
IVRE IMPERII IN MAGNUM  
DVCATVM ETRVRIAE

*QVAM*  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
*PRAESIDE*  
D. IO. IACOBO MASCOVIO

D. IX. DEC. MDCCXXI.

H. L. Q. C.

PVBLICAE DISQVIVISIONI  
SVBIICIT

*AVTOR ET RESPONDENS*

THOMAS FRITSCH

---

LIPSIAE  
LITERIS IMMANVELIS TITII.





# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

SECT. I. Quod Etruria pars regni Italici fuerit atque sub imperatoribus Francicis, atque Germanicis manserit, usque ad tempora Rudolphi Habsburgici:

§. I. *Instituti ratio.*

§. II. *Etruriæ status sub Romanis.*

§. III. *Itemque sub Gotbis & Langobardis.*

§. IV. *Etruria mansit pars regni Langobardici sub Carolingis, itemque Germanicis cæsaribus.*

§. V. *Origo marchionum Tusciæ, eorumque series usque ad Hugonem.*

§. VI. *Ab Hugone, usque ad Bonifacium.*

§. VII. *Inde usque ad Mathildin.*

§. VIII. *Marchiones Tusciæ, clientes regum Italiæ.*

§. IX. *Tusciæ imperio aperta Mathildis morte: de donatione Mathildis: controversia de hereditate: Henricus V. totam sibi assërit.*

§. X. *Pontifex Tusciam sibi vindicare conatur. Ultimo reit cum Lothario Saxone componit.*

§. XI. *Conradus III. Tusciam Henricum exiit: Fridericus I.*

*eam Welfboni tradit: a quo ad familiam Suevicam per-  
venit.*

- §. XII. *Henricus VI. Tusciam tenuit, eamque Philippo fratri  
tradidit.*
- §. XIII. *Fridericus II. controversiam de hereditate Matildis  
componit: Jura imperii in Tusciam servat.*
- §. XIV. *Tuscia præsertim Florentiæ, post mortem Friderici II.  
in jure imperii manent.*
- §. XV. *Formula marchionum in hac periodo.*

SECT. II. *De jure imperii in Tusciam, præsertim Florentias,  
usque ad excessum Maximiliani I.*

- §. I. *Rudolphus Tusciam a Carolo Siciliæ rege recipit: Vicarii  
ipsius per Etruriam.*
  - §. II. *Sententia illorum, qui Florentinos libertatem a Rudolpho  
emisse scribunt, proponitur.*
  - §. III. *Et refellitur.*
  - §. IV. *Judicia juris imperii in Etruriam, ac inprimis civita-  
tem Florentinam, sub Adolpho & Alberto Austriaco.*
  - §. V. *Sub Henrico VII. & Ludovico Bavaro.*
  - §. VI. *Caroli IV. cum Florentinis compositio. Edita ab illo  
supremi juris in Tusciam & inprimis Florentias in-  
dicia.*
- §. VII.



- §. VII. *Ruperto fidem & obsequium profitentur Florentini: privilegium ab illo impetrant.*
- §. VIII. *Conservata imperii jura sub Sigisimundo & Friderico III.*
- §. IX. *Sub Maximiliano.*
- §. X. *Quis reipublicæ Florentinæ hac periodo cum imperio nexus fuerit?*

SECT. III. *Jus Imperii in ducatum Florentiæ, a Carolo V. ad nostra usque tempora.*

- §. I. *Carolus V. majestatem imperii in Florentias restituit.*
- §. II. *Imperator Alexandrum caput reipubl. Florentinæ constituit.*
- §. III. *Alexander dux Florentinus creatur.*
- §. IV. *Imperator judex inter novum ducem, & exules Florentinos.*
- §. V. *Imperator Florentiæ ut dominus excipitur.*
- §. VI. *Cosmus dux Florentiæ beneficio cesaris.*
- §. VII. *Senæ ab imperatore Carolo V. Philippo filio conceduntur.*
- §. VIII. *Ille Senas tanquam subfeudum imperii concedit duci Florentiæ.*

- §. IX. *Controversia de precedentia inter duces Ferraricæ & Florentiæ, coram imperatore tractatur : Pontifex Cosmum magnum Etruriæ ducem appellat.*
- §. X. *Imperator acta irrita declarat, ac tandem ipse Franciscum magnum ducem creat.*
- §. XI. *Magnus Etruriæ dux plura minora imperii feuda præter Senas possidet.*
- §. XII. *Ex hæcenus deductis concluditur, in quantum magni Etruriæ duces imperio subiecti sint.*
- §. XIII. *Discutiuntur argumenta adverse partis.*
- §. XIV. *Continuatio ejusdem argumenti.*
- §. XV. *Imprimis jus imperatoris disponendi de successione in magno ducatu Etruriæ adferitur.*

SERIES

## SERIES DOCUMENTORUM

QUÆ

IN APPENDICE EXHIBENTUR.

- A. *Bulla Innocentii II. qua Lothario imperatori, ejusque uxori & genero, allodium Mathildis confirmat.*
- B. *Diploma Heinrici VI. monasterio S. Benedicti ad Podalironem datum.*
- C. *Tabule, quibus Clemens IV. Carolum Andegavensem nomine imperii paciarium in Tuscia constituit.*
- D. *Diploma Rudolphi I. regis Romanorum, quo Johannem de Avesnis vicarium imperii per Tusciam constituit.*
- E. *Litteræ Bonifacii VIII. quibus Carolum Valesium paciarium imperii in Tuscia constituit.*
- F. *Tenor compositionis inter Carolum IV. regem Romanorum, & Florentinos an. 1355. initæ.*
- G. *Tabule fæderis inter Rupertum regem Romanorum, & Florentinos initi.*
- H. *Privilegium Ruperti Florentinis concessum.*
- I. *Extractus ex fædere Blesensi, inter Maximilianum I. regem Romanorum, & Ludovicum XII. Galliarum regem initi.*
- K. *Diploma Caroli V. imperatoris de an. 1530. quo civitatem Floren-*

*Florentinam in gratiam imperii recipit , ac statum reip. ordinat.*

- L. *Instrumentum in quo describitur, quomodo orator caesareus Florentinum statum ordinaverit.*
- M. *Senatusconsultum XLVIII. virorum Florentiis, de Cosmo in locum Alexandri assumendo.*
- N. *Extractus ex diplomate Caroli V. Romanorum imperatoris, quo Cosmum, ducem Florentiarum, auctoritate imperiali confirmat.*
- O. *Epistola Maximiliani II. Romanorum imperatoris ad Cosmum Florentiae ducem, qua deductis imperii in statum Florentinum juribus, concessio tituli magni ducis, a pontifice facta, irrita declaratur.*
- P. *Diploma Maximiliani II. quo titulum magni ducis Etruriae, Francisco Mediceo tribuit.*
- Q. *Decretum collegii electoralis an. 1582. factum, de loco duci Sabaudiae, ante magnum duces Etruriae scribendo.*

## SECTIO



## SECTIO I.

### *QVOD ETRURIA PARS REGNI ITALICI FUERIT, ATQVE SUB IMPERATORIBUS FRANCIS, ATQVE GERMANICIS MANSERIT, USQUE AD TEMPORA RUDOLPHI HABSURGICI.*

#### §. I.



**D**E jure imperii in Florentias & olim sæpe *Instituti ratio.* disputatum est, & nuper maxime controverti cœpit, ex quo in scedere quadruplici, quod vocant, Augustissimus Imperator, sui in magnum Etruriæ ducatum juris, solenne documentum edicuravit. Cujus jam fundamenta, finesq; cum ostendere animus sit, ut tractatio de terrarum, quas magnus dux tenet, cum imperio nexu, rectius sibi constet, argumenta & indicia, quibus utendum est in hac disceptatione, per classes disponere visum est. Primum itaque probabo, Etruriam partem Longobardici regni semper fuisse, atque una cum eo in Francorum & Germanorum postea potestatem venisse, in eaque perstitisse usque ad tempora interregni. Tum à Rudolpho I. denuo & successoribus ita conservata imperii in Etruriam, ac imprimis Florentias jura, ut facile refelli possint, qui Florentinos unquam plenam libertatem, disertis verbis ab imperatoribus impetrasse, aut vel tacito saltem illorum consensu ipsos sibi sumfisse content-

A

tendunt. Tertio, ut Carolus V. vindicata imperii majestate, ipsis Florentinis agnoscentibus, supremum rerum arbitrum egerit. Singulis sectionibus subjungam, quicquid ex productis historiarum monumentis, Cæsarei juris elici potest, ut deinde in fine dissertationis, quilibet de totius causæ momentis tutius judicare possit. Quod si forte minus successerit, eum academicæ disputationis causa hanc operam susceperim, ipsi argumento fraudi non erit, privati conatus impar exitus. Et vel documenta, nunc primum ex archivis eruta eum commendabunt, quorum copiam debemus Perillustri patrono, qui gentilitiam laudem, propriis exæquans meritis, accendere, & juvare hæc studia nostra non dedignatus est.

## §. II.

*Etruria status  
sub onanis.*

Etruriæ nomine veniebat antiquissimis temporibus omnis regio, Macra & Tiberi fluviis, mari Tyrrheno, & Apennino monte inclusa; atque in tres partes dividebatur: prima à Macra ad Arnun, altera ab Arno ad Volsinium lacum, tertia inde ad Tiberim pertingebat: ubi locorum hodie ducatus Massæ, respublica Lucensis, territorium Pisanum, Florentinum & Senense, status præsidii, ducatus Castri, & patrimonium Petri sita sunt. Etruriam vero acerrimis demum bellis subegerunt Romani, & Florentinam, (a) Senensem, (b) Pisanam, (c) Lucensem, (d) aliasque colonias illuc deduxerunt.

a) FLORUS, l. III. c. 21. TACITUS, Ann. l. I. c. 79.

b) TACIT. Hist. l. IV. c. 45.

c) IDEM.

d) LIVIUS, l. XLI. c. 13. VELLEJUS l. I. c. 15.

## §. III.

*Itemque sub  
Gothis & Lan-  
gobardis.*

Cum Imperatores Byzantini excidissent possessione Italiæ, Etruria quoque Gothis serviit, iisque Justiniani auspiciis deletis, mox tamen in Langobardorum venit potestatem, quod tota illius regni historia loquitur: testanturque regum Langobardorum diplomata, quæ passim in tabulariis Etruriæ extant. (a)

a) c. g. Raxis rex Langobardorum Episcopo Clusino Arialdo cenobium Am-  
mia-

miatum concedit an. 742. apud UGHELLUM Italia sacra T. III p. 668 sq.  
Edit. Rom. de an. 1644. f.

## §. IV.

Cum Carolus regnum Langobardorum in suam potestatem redegit, una quoque Etruriam tenuit, & ad posterum transmisit. Exercitià Carolingis in Tuscia regii juris, iterum plura indicia veteres tabulæ suppeditant, quarum nonnullas saltem speciminis loco hic annotabimus. Superest diploma, quo Carolus M. Aretino episcopo ecclesias suas an. 795. confirmavit. (a) Ludovicus pius alibi, Gherardo Lucensi Episcopo aliquot jura, quibus ista ecclesia exciderat, restituit. (b) Lotharii, episcopo Aretino, Petro ecclesiam quandam S. Petri concedentis, literas iterum UGHELLVS (c) exhibet; itemque Ludovici II privilegium, de duobus mercatibus instituendis, episcopo Volaterrano an. 851. datum, (d) & Carolomanni decretum, quo ecclesiam S. Vincentii Lucensi episcopatu restituit. (e) Cum deinde, abdicato Carolo crasso, sub propriis aliquandiu principibus esset Italia, mansit Etruria Italici regni pars; quod præter alia historiarum indicia, Berengarii, (f) Lamberti, (g) Hugonis & Lotharii regum (h) passim extantia diplomata docent. Nec quicquam immutatum, cum ad Germaniam sub Ottone M. Italia accessisset.

a) UGHELLI l. c. T. I. p. 460.

b) IDEM T. I. p. 798.

c) IDEM p. 461. an. 832.

d) IDEM T. I. p. 333.

e) IBIDEM p. 850.

f) Berengarius rex Odelberto Episcopo Lunensi omnia privilegia priorum imperatorum confirmat an. 890. IBIDEM T. I. p. 895.

g) Ita e. g. Grasulpho Episcopo Florentino aliquot prædia donat, atque inter illa etiam terram, quæ dicitur campus regis, pertinentem de curte Regis, quæ sita est Florentiæ. Apud EUNDEM T. III. p. 36.

h) Ita Lucensi ecclesiæ largiti sunt ex patrimonio suo Massægravæ curtem cum suis juribus an. 932. IBID. T. I. p. 854.

## §. IV.

De quo ut jam melius constet, marchionatus Tusciæ *Origo Marchionatus Tusciæ*

*scia, eorum-  
que series us-  
que ad Hugo-  
nerii.*

formula propouenda erit, ejusque illustrandæ causa, feriem marchionum hic præmittere visum est necessarium. Sub Carolo M. primum reperitur an. 782. & an. 785. Allo quidam dux: Tum an. 800. & 801. Vvicheramus comes, qui tamen & dux quandoque appellatur. (a) Deinde Lucæ, quæ Tusciæ metropolis erat, an. 813. Bonifacius comes, qui & itidem dux in tabulis coævis vocatur, (b) fuit, Bajuvarius natione. Post quem a. 823. filius cognominis comes Lucæ, adeoque & Tusciæ præses occurrit, quem Ludovicus pius an. 828. Corsicæ insulæ præfecit. (c) Succesit Adalbertus, sive Albertus, cujus varia diplomata, in quibus titulum ducis adscribit, recenset FLORENTINUS ex archivis ecclesiæ episcopalis Lucensis. (d) Is ex Rotilda Lamberti & Guidonis ducum Spoleti sorore genuit Adalbertum II., qui divitis vulgo cognomen habet, patrique circa an. 886. successisse videtur. (e) Is Bertham, Lotharii II. ex Waldrada filiam, Theobaldi comitis Arelatensis viduam in matrimonio habuit: & celebris est in sui temporis historia, quod Ludovicum Provinciæ regem adversus Berengarium an. 900. in Italiam vocavit. Illo mortuo, filius Gvido à Berengario rege marchio constitutus est, (f) quem frater Lambertus, auctore Hugone rege, excepit. (g) Sed illum mox suspectum habere rex cœpit, ac marchionatu privavit, eundemque Bosonis, fratris sui germani fidei commisit. (h) Sed hunc quoque res novas molientem expulit, (i) Tusciamque dedit Huberto filio suo, quem ex Wandelmoda suscepit. (k) Hubertus duxit Gvilham, Bonifacii marchionis Spoletini filiam, & successorem habuit filium Hugonem magnum, quem vulgo marchionem Brandenburgicorum familiæ inserunt. (l) Uterque se lege Salica vivere in diplomatibus suis professi, de Francica origine sua testantur. Hugo an. 1001. nullo ex se relicto mare, decessit, tantæque fuerat potentiæ, ut Ottoni III. prægravis videretur; quem, accepto de obitu ejus nuntio, exclamasse scribit PETR. DAMIANUS: (m) *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

a) FRANC



- a) FRANC. MAR. FLORENTINUS memorie di Mathilda L. III. p. 12.  
 b) CL. MURATORIUS antichità Estensi P. I. c. 22. p. 207.  
 c) Secundum hunc Bonifacium primus eruit ex antiquis tabulis RENA Serie de Duchi di Toscana p. 95. add. MURATORIUS l. c.  
 d) L. III. p. 17. Sed is ignorabat Adalbertum; quem primus iterum detexit RENA.  
 e) Tabulas ipsas, ex quibus RENA hunc II. Adalbertum produxit, exhibet MURATORIUS l. c. p. 210.  
 f) LUITPRANDUS de rebus imperatorum & regum L. II. c. 15. *Hoc in tempore Adelbertus Tuscorum potens marchio moritur; filiusque ejus Wido à Berengario rege, marchio patris loco constituitur.*  
 g) IDEM L. III. c. 12. *Wido vero non multo post moritur, fraterque ejus Lambertus ipsi vicarius ordinatur.*  
 h) IDEM l. c. c. 13. *Hoc igitur capto, Bosoni fratri suo Tusciam contradidit.*  
 i) IDEM L. IV. c. 5.  
 k) IDEM L. III. c. 5. conf. de hoc Huberto CL. MURATORIUS Antich. Estens. P. I. c. 15. p. 136. sq. ubi illum ab Oberto Estensi distinguit, atque ante an. 961. obisse conjicit.  
 l) Quæ fabula erudite discutitur in GUNDLINGIANIS P. XXI. n. II. Hugonis regis gestas executus est PLACIDUS PUCINELLI Istoria d'V'gvol grande duca di Toscana.  
 m) Opuſc. 57. diff. 2. c. 5.

## §. VI.

Ab excessu Hugonis obscura aliquandiu est marchio-<sup>Ab Hugone ut-  
que ad Boni-  
facium.</sup> successio. Primum nobis Theobaldum sistit FLORENTINUS. (a) Sigfridi comitis Lucæ nepotem, Azonis filium, conditorem celeberrimi monasterii S. Benedicti ad Podalironem: de quo intelligendus DITMAR. MERSBURGENSIS (b) cum scribit, Henrico II. a. 1005. in Italiam adversus Harduinum profecto, Veronæ marchionem Theobaldum occurrisse. Obitum ejus ad a. 1007. referunt. (c) Sequitur apud FLORENTINUM Bonifacius marchio, filius Alberti comitis, qui se lege Ribuariorum vivere in donationis abbatiæ Florentinæ an. 1009. factæ tabulis proficitur. (d) Occurrit deinde an. 1011. Adalbertus marchio filius b. m. Oberti, & nepos b. m. Adalberti, qui fuit similiter marchio, in diplomate ipsius, ad S. Mariæ in monte, qui locus est hodie reip. Lucensis, profecto. (e) Ab illo Reynerus marchio Tusciæ reperitur, quem Conradum Salicum an. 1026 in Italiam venientem, cum Lucensibus Vercellis salutasse, OTTO FRISINGENSIS scribit: (f) *Rex vero,*  
ait;

ait, *castra movens sanctum Pasca Versellis celebravit. Ibi Rebenerium marchionem cum civibus Lucensibus obviam habuit.* Tum demum Bonifacium Theobaldi filium marchionatum Tusciæ obtinuisse, ex indubitatis argumentis constat: (g) eamque ut feudum regni Italici habuisse, luculentus testis est DOMNIZO, qui ubi præstitam 1037. Conrado Salico in oppugnatione Parmensis civitatis à marchione opem describit, his verbis contractum feudalem exprimit:

*Ut juraret ei, rogat ipsum (Conradus Bonifacium) more fidelis  
Atque ideo dixit, quod marchio serviet ipsi. (h)*

- a) l. c. L. III. p. 46. sq.  
 b) Chron. L. VI. *Huic occurrit diu expectatus THEOBALDUS MARCHIO cum prædictis auxiliatoribus, gaudens tempus advenisse, quo secretum bone voluntatis liceret huic aperire.*  
 c) FLORENTINI l. c. p. 47.  
 d) l. c.  
 e) IBIDEM p. 48. Nec tamen inde constat, Marchionem Tusciæ fuisse. Si quidem ille Adalbertus, Oberti Estensis filius fuisse videtur, ac idem, cujus in diplomate Ottonis III. de a. 996. apud MURATOR. l. c. p. 157 sq. fit mentio, quemque idem tab. I. genealogiæ Atestinæ inseruit. Quam familiam in Tuscia, & ipso quoque comitatu Lucæ amplissima habuisse prædia, idem auctor c. 20. probavit.  
 f) Chron. L. VI. c. 28. conf. PETR. DAMIANUS in vita S. Romualdi, ubi eum disertis verbis Tusciæ marchionem vocat: *Et non longe, inquit, in virtute Ranerii, qui postmodum Tusciæ marchio factus est, habitavit.*  
 g) apud FLORENTIN. L. I. p. 25. ubi provocat ad tabulas, quibus Ingo epi. scopus Mutinensis a. 1034. ipsi, & conjugi Richildi duo castra tradidit, in quibus jam marchio & dux Tusciæ appellatur. Tabulæ extant apud SILINGARDUM de episcopis Mutinensibus in vit. Ingonis.  
 h) DOMNIZO ap. LEIBNIT. in script. R. Brunsvic. T. I. p. 648.

### §. VII.

*Inde usque ad  
Matbildin.*

Bonifacius marchio & dux passim in diplomatibus appellatur: (a) solebantque promiscue hoc titulo uti principes Tusciæ. (b) Præter Tusciam vero Spoletinum, & Camerinum quoque ducatum rexisse, & Canossam, Mantuam, Mutinam, Regium Lepidi tenuisse constat. (c) Parmam quoque eum & Ferraram, sed hanc ut feudum sedis Romanæ tenuisse, probabile est. (d) Obiit a. 1052. tribus relictis liberis impube-

ribus

ribus, quorum nomine vidua Beatrix, Friderici ducis Lotharingæ, & Mathildis filia, avitos principatus rex. Quæ cum nupfisset Godofredo Barbato circa a. 1053. (e) aut 1054. is quoque dominari iis cœpit. (f) Sed ægre ferens factum Henricus III. imperator, profectus in Italiam, Beatricem cum matre Mathilde, nequicquam excusantem matrimonium, cepit, Gothofredum acerrimo bello percutus est. (g) Conciliatus demum Henrico V. in concilio Colonienfi opera Victoris papæ, & liberata Beatrix a. 1057. (h) Italiam repetierunt. Extant diplomata, in quibus utriusque nominis auctoritas negotiis prætextitur. Nec reverentiam imperii exuerunt. Siquidem Gothofredus a. 1062. una cum Annone Colonienfi archi-episcopo, Romam ire, componendi schismatis causa iussus est. (i) Obiit Gotfridus an. 1069. Mathildis autem, quæ sola ex liberis Bonifacii superstes, vivo adhuc vitrico in partem gerendæ reip. venerat, Gotfridum Gibbosum, Barbati filium, primum maritum habuit. Sed cum is plerumque in Lotharingia degeret, ipsa cum matre provinciam rexit. Attamen Gotfridus, cum a. 1073. in Tuscia esset, in vetere instrumento, Pisis eo anno confecto, dux & marchio appellatur. (k) Interfectus est Anverpiæ an. 1076. & jam Mathildis, cum paulo post matrem quoque amisisset, sola principatum tenuit. A. 1087. svasu pontificis, Gvelpho, Gvelphi ducis Bavariz filio, Azonis Atestini nepoti nupsit. A quo iterum an. 1095. divertit. Gvelphus tamen terras ipsius, matrimonii sui ratione sibi vindicasse legitur. (l) Licet vero Mathildis acerrime adversata fuerit Henrico IV. Gregorium VII. ejusque successores persequenti, à regni tamen obsequio non secessit. Nam cum ab Henrico deficeret, filium tamen ejus Conradum regem agnovit. Imo post Conradi obitum, iterum in diplomatibus suis, ad annos Henrici temporum rationem computat. (m) Cum patri successisset Henricus V. non modo statim eum agnovit; sed etiam cum coronationis causa an. 1100. Romam proficisceretur, obsequium clientis pro-

professa est. (n) Quod imprimis ratione Tusciæ factum, satis arguit iter Augusti per eam provinciam. Siquidem natalitia domini Florentiis regum more celebravit, Lucenses Pisanosque pacavit, & in tumultuantes Aretinos ferro & flamma animadvertit. Neque id de facto & invita Mathildi: cum qua ita fervavit amicitiam, ut rediens Roma, dum in Germaniam revertitur, Bibianelli illam salutaverit: repetitoque sædere, vices ei suas per Liguriam demandaverit. (o) Quibus rebus gestis Mathildis tantam consecuta est celebritatem, ut certatim in historia scribenda operam locaverint Itali auctores. (p)

a) vid. ejus dipl. ap. FLORENT. app. p. 117.

b) exempla passim apud FLORENTINUM.

c) FLORENT. L. I. p. 47. conf. PETRUS DAMIANUS L. VII. ep. 10. fq.

d) de quo disputantem vide iterum FLORENTIN. l. c.

e) hunc annum indicat LAMBERTUS, sed conf. FLORENTINUS l. c. L. I. p. 53.

f) LAMB. SCHAFFNAB. *Marchiam & ceteras ejus possessiones conjugii prætextu sibi vindicavit.*

g) IDEM l. c. videturque *Beatrix ipso ducali titulo spoliata fuisse: siquidem in instrumento eo tempore confecto, ita loquitur: Constat me Beatrice lege vivente Salica. filia b. m. Frederichi qui fuit dux, qui fuit similiter lege vivens Salicha.* apud FLORENT. L. I. p. 58.

h) apud LAMBERTUM SCHAFFNAB. h. a.

i) IDEM ad a. 1062. sed conf. FLORENTIN. L. I. p. 85.

k) IBIDEM p. 101. & 116.

l) BERTHOLDUS Constantiensis ad h. a. *Unde pater ipse Guelphi in Longobardiam nimis irato animo pervenit, & frustra diu, multumque pro bujusmodi reconciliatione laboravit. Ipsum etiam Henricum sibi in adiutorium adscripsit, contra dominam Matildam, ut ipsam bona sua filio dare compelleret, quamvis nondum illam in matrali opere cognosceret. Unde diu frustra laboratum.*

m) Si modo recte se habet diploma apud FLORENTINUM (verosissimum quidem in vetustis chartis scriptorem) L. II. p. 277. quod sic incipit: *In Dei nomine Amen! Anno ab incarnatione ejusdem 1099. regnante imperatore Henrico id. 8. Septembris indictione 8. Ego domina Matilda ducatrix &c.*

n) URSPERGENSIS: *Parmam perveniens, Matildem comitissam per interuentios sibi subiectam. gratia sua. propriis iustitiis donavit.*

o) DOMNIZO. l. c. in LEIBNITII script. R. Brunfv. T. I. p. 682.

p) MELLINI de fatti di Matilda. BENEDETTO LUCCHINI chronica di Matilda, SILVANO RAZZI vita di Matilda. GIULIO dal Pozzo Maraviglie herouiche

roiche del fesso donnesco, memorabili nella duchessa Matilda. Veron. 1678. 4.  
 FRANCISCI MARIE FLORENTINI memorie di Matilda. Luce 1642. 4.  
 FELICIS CONTELORII Mathildis comitissæ genologia. Interamnæ 1657. 4.  
 BENEDICTUS BACCHINI in *Istoria del monastero di S. Benedetto di Polirone*. Mutinæ 1696. 4.

## §. VIII.

Marchiones isti magna auctoritate Tusciam in comitatus divisam regebant: sicuti comitatus Florentini, & comitatus Vulterrani in veteribus actis mentio fit. Ideo sæpe etiam ducis titulo usi sunt. Sic Bonifacius *divina miseratione Tuscorum dux & marchio*: (a) Sic Mathildis comitissa & ducatrix sæpe legitur. Interdum etiam in specie marchiones, ac duces Lucæ, quæ metropolis Tusciæ tum habebatur, vocati sunt. (b) Videntur autem hereditario jure imperasse: & cum alia quoque feuda acquisivissent, ac amplissima patrimonii cumulassent, ad ipsos cæsaribus invidendam potentiam excreverunt. Quamvis vero non constet, quousque marchionatus Tusciæ se extenderit; conjecturæ tamen occasio datur ex antiquis tabulis, quas Mathildis Florentiis, (c) Senis, (d) Urbevetere (e) confici jusfit: quodque Liburnum ecclesiæ Pisanæ donasse legitur. (f) Cæterum quantacunque fuerit marchionum potestas, certum est, eos vasallos fuisse regum Italiæ: quorum arbitrio institutos, atque expulsos iterum provincia esse, supra vidimus. Nec Mathildin illo se solvisse vinculo, historia ipsius docet. Quousque autem illa clientela se extenderit, ex nonnullis argumentis, quæ veteres tabulæ servarunt, colligere licet. Ita in sententiis ferendis, marchiones partem mulctarum fisco imperatoris addicunt. Ita Bonifacius in sententia Lucæ 1047 pro episcopo lata, & pœna in violantes statuta concludit: *medietatem cameræ domini imperatoris inferendam esse*. (g) Quod & Beatricem cum marito Gotofredo, & Mathildim ipsam fecisse, ex visis à se tabulis testatur FLORENTINUS. (h) Reges etiam palatia habebant in urbibus: & hospitii causa, cum illuc venirent, & supremi juris sui monumenta. Nam in illis, præsentibus comitibus palatii, & judici-

B

dici-

*Marchiones  
Tusciæ clientelæ  
regum  
Italiae.*

dicibus imperialibus (i), marchiones jus reddebant: qualia Lucæ, (k) & Pisis (l) fuisse, cum aliunde constat, tum ex sententiarum ibi latarum formulis patet. Accedit, quod missi regii sæpe in gravioribus causis adhibiti fuerint. Ita Lamberti missum Florentiæ, Berengarii, Conradi Salici, Henrici III. & IV. missos Lucæ, varias dissensiones composuisse, ex archivis ecclesiæ Lucensis annotavit FLORENTINUS. (m) Quin & Mathilde Tusciam moderante, Henricus V. cum coronationis causa Romam proficisceretur, & cum Mathilde jam in concordiam rediisset, inter alia regii juris indicia hoc quoque edidit, quod pacem inter Lucenses Pifanosque sancivit. (n)

- a) apud FLORENTIN. in app. L. III. n. 6.  
 b) cuius rei exempla vide apud EUNDEM L. III. p. 102. seq.  
 c) ap. EUNDEM L. II. p. 282.  
 d) IBIDEM p. 285.  
 e) IBIDEM  
 f) IBIDEM.  
 g) apud EUNDEM in app. n. 5.  
 h) IDEM L. III. p. 95.  
 i) quod apparet ex subscriptionibus diplomatum Bonifacii, Beatricis, & Mathildis. Quarum unam hic afferam, subjectam diplomati Bonifacii an. 1047. confecto: *Rolecbeius iudex sacri palatii interfuit.* apud FLORENTIN. p. 118.  
 k) *Dum in Dei nomine, civitate Luca in palatio domni imperatoris, in iudicio residisset dominus Bonifatius marchio & dux.* apud EUNDEM app. act. n. 5.  
 l) *dum in Dei nomine in civitate Pifense, in palatio D. regis in iudicio residisset domina Beatrix hac ducatrix, una cum Gotisfredo duce.* ap. EUNDEM ib. n. 16.  
 m) L. III. p. 98.  
 n) Ex annalibus Ptolomæi Lucensis apud FLORENTINUM L. II. p. 307.  *Rex Henricus cum magno exercitu Pifas venit, & fecit pacem inter Pifanos & Lucenses, in qua guerra Pifani devicerunt Lucenses ter in campo, & castellum de Ripasfratta recuperaverunt, & ripam, unde lis fuit, retinuerunt.*

## §. IX.

*Tuscia imperio aperta, Mathildis morte: de donatione Ma-*

Mathildis obiit an. 1115. Mortem ejus acres de hereditate ipsius lites consecutæ sunt: quarum fundamenta atque exitum, cum ad rectius ordinandam Tuscarum rerum seriem multum hæc disquisitione faciat, paucis illustrabimus. Ter-

ras

ras suas ecclesiæ Romanæ donatione inter vivos reliquerat: deque illa donatione vehemens orta fuit disceptatio. Sed primum hic notandum est, non continuissè illam feuda imperii, quale marchionatus Tusciæ erat. (a) Neque enim donare ducatum, aut marchiam poterat, neque unquam inter loca, quæ pontifices ex donatione Mathildis deberi sibi postulabant, marchiam Tusciæ, aut Florentias, Lucamve, aut Pisas reperimus. Neque in diplomate Friderici II. pontificis loca, quæ ex donatione Mathildis sibi vindicabat, cedentis, mentio fit marchionatus Tusciæ. Donatio ergo intelligenda est tantum de allodiis, quæ per Etruriam, Romaniam, Liguriamque amplissima possedit, quæque nomine *domus Mathildis* illius ævi historici appellant, nomine tenus autem hic recensere difficile fuerit, nec valde necessarium, cum CL. MURATORIUS illam operam daturum se historici promiserit. (b) Itaque Henricus invitatus ab Italis, qui Mathildi paruerant, (c) in Italiam an. 1116. movit. Nec solum feuda imperio aperta vindicavit, inter quæ fuit Tuscia; cui marchionem præfecit Conradum fororis suæ filium. (d) Sed patrimonium quoque Mathildis jure sanguinis sibi deberi contendebat: cuius postulati ratio ut melius appareat, cognationis seriem subjicimus. (e) Et præterea ipse quoque tabulas Mathildis protulit, quibus sibi donatas terras probaret Si modo ARNOLDO LUBECENSI hac de re fides habenda est, Friderici I. cum Lucio III. Papa de hac hereditate disceptationem ita describenti: (f) *Tractabant inter se dominus papa, & imperator, de patrimonio domine Mechtildis, matrone nobilissime, quod imperator in possessione habebat, dicens ab eadem imperio collatam. Et è converso dominus papa sedi apostolicæ ab ea datum affirmabat. Cumque in argumentum probandi testamenti, ex utraque parte porrigerentur, nullo sine causa terminata est.* Henricum autem omnino hereditatem quiete obtinuisse, ex variis indicis constat, quæ collegit eruditissimus MURATORIUS, (g) & antiquarum tabularum fide in secunda operis parte firmabit.

a) Ita asserunt nonnulli ex loco PETRI OSTIENSIS chron. Casin. L. III. c. 49. *Mathilda comitissa Liguria & Tuscia, iram imperatoris Henrici sibi in se infestis me-*

*schildis. Controversia de hereditate. Henricus V. totam sibi asserit.*

tuens, Liguriam & Tusciam provincias, Gregorio papa & S. R. ecclesia devotissime obtulit. Cui paria refert GODOFRIDUS monachus, & TRITHEMIUS.

b) p. 295.

c) CONRADUS URSP. ad an. 1115. *directi ab Italia nuncii obitum illius inclite Mathildis nuntiant, ad ejusque prædiorum terras amplissimas hereditario jure possidendas, casarem invitant.*

d) FLORENTINUS L. II. p. 346.

e) Hermannus dux Sveviz.

Mathildis uxor Friderici II.  
ducis Lotharingæ.

Gisela uxor Conradi II.

Beatrix uxor Bonifacii  
marchionis Tusciæ.

Henricus III.

Mathildis.

Henricus IV.

Henricus V.

Conf. CONTELORII genealogia Mathildis c. 2 & BENEDICTUS BACCHINI l. c.

f) Chron. L. III. c. 10.

g) Antichità Estensi P. I. c. 30 p. 292.

### §. X.

*Pontifex  
Tusciam sibi  
vindicare co-  
natur. Ulti-  
mo rem cum  
Lothario Saxo  
zone compo-  
nit.*

Defuncto Henrico V. Honorius II. papa, opportu-  
nam occasionem consequendi hereditatem Mathildis obti-  
gisse ratus, de illa investivit Albertum aliquem: cujus super-  
est diploma de a. 1128. quo donationes monasterio S. Benedic-  
ti confirmat, uxoris livasū, & *pro mercede anime dominae Ma-  
thilde comitissa*: Ipse vero hoc utitur titulo: *Albertus, Dei  
gratia, marchio, & dux, lege vivens Salica, cooperante gratia &  
B. Petri, & domini papæ Honorii, ejus vicarii, munere ad hu-  
jus honoris provectus fastigia.*\* Sed ille, utrum marchioni-  
bus Tusciæ sit annumerandus, dubito: Nam eundem  
Conradum post mortem Henrici quoque provinciam Tu-  
sciæ obtinuisse, diplomata ejus de a. 1126. & 1128. docent, in  
quibus *divina gratia Ravennatum dux, & Tusciæ præses, &  
marchio vocatur.* (a) Neque tantum Lotharius Saxo im-  
perii jus in marchionatum Tusciæ, & reliqua feuda vindica-  
vit, sed hereditatem quoque Mathildis sibi asseruit, con-  
sentiente



sentiente papa Innocentio II. de quo ita PETRUS DIACONUS: *Innocentius igitur Alemannorum, & Lotharingorum terram ingressus, juxta Leodium a Lothario rege excipitur, virgam & anulum ei juxta morem antiquum confirmans, nec non & terram comitisse Mathilde ei contradens.* (b) Quæ tum forte de allodio Mathildis tractata tantum videntur, a. 1133 solenni pacto definita sunt. Tum enim idem pontifex cum Lothario ita transegit, ut ipse, ac uxor Richza, postque illorum obitum gener Henricus, una cum conjugè, allodium Mathildis, pro annuo 100. librarum argenti censu, Romanæ ecclesiæ solvendo tenerent: cujus pacti tabulas integras dabimus. (c) Idem imperator deinde a. 1136. generum marchionem Thuscianæ creavit. (d)

\*) ap. MURATORIUM l. c. p. 293.

a) vid. FLORENTIN. l. c. L. II. p. 346.

b) Chron. Cassin. L. IV. c. 97.

c) vid. in append. actorum lit. A.

d) URSPERG. de expeditione anni 1136. p. 213. *Henricus per Tusciam exercitum duxit, quam & ab imperatore in beneficium obtinuit.* Interim in tabulis an. 1131. confectis reperitur quidam *Ramprettus* divino munere *Tusciam præses & marchio* apud FLORENT. p. 347. Et in concilio Pisano an. 1134. apud BARONIUM, & in antiquo Chr. Pisano ap. FLORENT. L. II. p. 347. *Ingelbertus* quidam, *de marchia Tuscia*, repugnantibus maxime Lucanis, investitus dicitur.

### §. XI.

Conradus III. Svevus cum Henricum Superbum, omnibus beneficiis exutum, proscriberet, Tusciam quoque ipsi ademittit: & ab eo tempore marchiam tenuit Udelricus (a) aliquis, sive Ulricus. (b) Fridericus I. Welphoni avunculo, Henrici fratri, una cum ducatu Spoleti, principatu Sardinie, & omnibus terris Mathildis a. 1152. in feudum dedit: qui & provinciam statim adiit (c) & magna auctoritate, in obsequio tamen imperii, (d) rexit. Extant varia monumenta passim in tabulariis Etruriæ, in quibus utitur sequenti titulo: *Welpho, Dei gratia, dux Spoleti, marchio Tuscie, princeps Sardinie, dominus domus comitisse Mathildis.* (e) Is postea, cum filium amisisset, accepta à Friderico pecunia. se ab-

*Conradus III. Tuscia Henricum exiit: Fridericus I. eam Welphoni tradit: a quo ad familiam Svevicam pervenit.*

dicavit omni feudo, & allodia, tam in Italia quam Germania, cæsari vendidit: qui pleraque sibi retinuit, nonnulla vero ad dies vitæ ipsi utenda concessit. (f) Ita Fridericus & feuda imperii recepit, ac de iis imperiali jure disposuit, ut ex URSPERGENSI (g) patet, & amplissimum patrimonium familiæ Svevicæ inulit, quo post mortem Guelphi penitus gaviſa est. Inde factum, ut ab eo tempore in quibusdam locis domus comitiſſæ Mathildis, cæsaris nomine jus dictum fuiſſe legamus. Faciunt huc vetustæ tabulæ, a. 1187. conscriptæ, quæ ita incipiunt: *Ego Rogerius, judex de Gvafalla, ex mandato, & precepto, domini Henrici de Lutra, imperialis aule marescalchi, & in podere comitiſſæ Matilde legati, cogitor de causa &c.* (h) Idque magis adhuc apparet ex diplomate, quo Henricus, Friderici filius, non tantum ut imperator monasterium Benedicti super Padum in patrocinium recipit, sed etiam ut Tusciæ dux, & allodii Mathildis dominus, factas donationes marchionum illi confirmat: quod integrum in fine dabimus. (i) Tuitus autem hæc jura est Fridericus, licet non modo Henricus Leo, Superbi filius, hereditario jure sibi deberi terram Mathildis contendens interceptam ægerrime ferret: sed papa etiam Lucius III. in conventu Veronensi, ecclesiæ jura acriter urgeret: qua de re ARNOLDI LUBECENSIS testimonium jam supra produximus. (k) Atque sic familia Svevica non modo marchionatum Tusciæ, ut feudum imperii, sed allodium quoque Mathildis jure hereditario possedit, donec diuturna cum pontificibus contentio sub Friderico II. componeretur.

a) ex diplomate an. 1143. confecto, apud FLORENTINUM p. 349.

b) OTTO FRISING. L. VII. c. 29. *Florentini una cum marchione terræ Utrico, usque ad ipsas portas Senensium accedentes, suburbia ejus cremaverunt.*

c) MONACHUS Weingart. in Guelphone VI. *Igitur dignitatibus prænomina-  
tis susceptis Italiam intrat, ac civitates, castella, seu villas, per totam domum  
Mathildis pertransiens, negotia terræ civiliter pertractat. Hi legati de omni-  
bus civitatibus Tusciæ, nec non & ex omnibus civitatibus Spoletis ad eum ve-  
nien-*

nientes, ac munera condigna offerentes, subjectionem voluntariam promittunt.

d) GODEFRIDUS monachus ad an. 1167. Interim illustrissimus praesul Reynolds Tuscia partes adiit, & deinde Tusculanum intravit: illi enim adhuc imperatori fideles erant.

e) conf. MURATORIUS l. c. P. I. c. 30. p. 297.

f) OTTO de S. BLASIO ad an. 1167. de Guelpho: Imperatori Friderico, recepta ab eo prius prohibitu suo pecunia, primo beneficiis, scilicet ducatu Spoletii, marchia Tuscia, principatu Sardinia ipsi resignatis, omnia praedia sua ipsi condidit, eaque usque ad terminum vitae, pluribus aliis abditis (forte aditis) recepit. Add. auctor Chron. WEINGARTENSIS, qui, ubi fufius haec narravit, ita concludit: Traditam sibi hereditatem lege gentium possedit (imperator) & quaedam in signum possessionis sibi retinuit: reliquis vero ipsum Guelphonem inbeneficiavit, quaedam & de suis superaddidit.

g) ad an. 1168. p. 225. Hoc & sequentibus annis, prout opportunitas temporum concessit, cepit imperator in partibus Tuscia, & terra Romana castra ad se spectantia, suae potestati vendicare, & quaedam nova construere, in quorum praediis Teutonicos praecipue collocavit. Et mox: milites quippe Teutonicos in dignitatibus Italia constituit: nam quendam liberum Bidelaphum ducem Spoletii effecit. Marchiam quoque Ancona, & principatum Ravenna Conrado de Luzelinbart contulit, quem Italici muscam in cerebro nominabant, eo quod plerumque quasi demens videretur. Per singulas quoque civitates iudicibus constituitis, recessit ab Italia &c.

b) apud MURATOR. l. c. p. 310.

i) Vid. in app. lit. B.

k) §. IX.

## §. XII.

Successor Friderici Henricus VI. Tusciam, & hereditatem Mathildis tenuit: ac a. 1195. fratri Philippo dedit, ut scribit URSPERGENSIS (a) Moriens autem testamento, cuius fragmentum BARONIUS (b) exhibet, controversiam, quae haecenus inter papam & imperatores de hereditate Mathildis fuerat, composuit. De imperio, inquit, ordinamus, quod dominus papa & ecclesia Romana illud filio nostro confirmet. Et pro hac confirmatione imperii, & regni volumus, quod tota terra comitissa Mathildis restituitur domino papa, & Rom. ecclesiae, praeter Medifnam, & Argelatam cum eorum pertinentiis. Et insuper ordinamus, & volumus, ut tota terra de Ponte Payle, cum Monte fortino libere dimittatur

Henricus VI.  
Tusciam tenuit, eamque Philippo fratri tradidit.

tatur domino papa, usque ad Cepranum; & quod ecclesia Romana habeat Montem Flaſconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper precipimus Marcoualdo ſeneſcallo nostro, ut ducatum Ravennatem, terram Briſtinori, marchiam Ancona recipiat à domino papa, & Romana ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medifinam, & Argelatam, cum eorum pertinentiis. De quibus omnibus bonis ſecuritatem ei iuret, & fidelitatem faciat, ſicut domino ſuo. In morte vero, ſi ſine herede deceſſerit, ducatus Ravenna, & terra Briſtinorii, & marchia Ancona, Medifina, Argelata, cum earum pertinentiis in dominio ecclesia remaneant. Quod autem vere reſtituta fuerint poſt mortem ejus, auctor eſt ROGERIUS ab HOVEDEN: (c) De ſuncto itaque Henrico Romanorum imperatore, magna pars Tuſcia, quam idem imperator & prædeceſſores ſui abſtulerant Romanis pontificibus, reddita eſt domino Cæleſtino ſummo pontifici, videlicet Aquapendente, & S. Criſpina, & Mons Falſorum, & Radicoſanum, & S. Quiricus cum omnibus pertinentiis eorum. Innocentius III. autem Philippum, regem in Germania ſalutatum, graviter perſecutus eſt: nec ante pax iniri potuit, quam occulte ſperare juberetur, regem, filium uni ex filiis fratris ſui, data in dotem Etruria, collocaturum. Otto IV. quamvis ante coronationem renunciaveſſet terris, quas anteceſſores adverſus ſedem Romanam ſibi aſſeruerant, mox tamen eaſdem, atque in illis ſimul allodium Mathildis repetiit. (d)

a) ad Henricum VI. a. 1195. Imperator Philippo fratri ſuo dedit uxorem dominam Ernam, filiam regis Grecorum, quam reperit in palatio Panormitano: deſponſata ſiquidem fuerat filio Dancredi: tradens ei dominium totius Tuſciae, & terram domina Matilde. GODEFRIDUS monach. ad etund. an.

b) Ann. ad an. 1197. n. IX.

c) Annal. part. poſter. p. 774. in coll. SAVILIANA, edit. Francof.

d) Vita Friderici II. quæ præfixa eſt epistolis P. de VINEIS p. 9. Otto terras ecclesia ingreſſus, eas in poteſtatem ſuam redegit: & pontifice invito, Romaniam cum patrimonio Matildis, Salingverra Ferrarienſi, marchiam Anconitanam Azoni Aſenſi, & ducatum Spoletanum cuidam Heriboldo capitaneo ſuo dedit. Diploma inveſtituræ de marchia Anconitana extat apud MURATORIUM P. I. c. 39. p. 392.

## §. XIII.

Fridericus II. ita tandem an. 1213. diurnam controversiam de allodio Mathildis composuit, ut papæ ea loca, secutus ultimam patris sui voluntatem, penitus cederet. Verba ipsa hic subjicimus: *Possessiones etiam, quas ecclesia Romana recuperavit, ab antecessoribus nostris, seu quibuslibet aliis ante detentas, liberas, & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas obtinendas bona fide promittimus adjuvare. Quas vero nondum recuperavit, ad recuperandum erimus pro viribus adjuvatores: & quacunque ad manus nostras devenient, sine difficultate ac mora eas restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est à Radicosano usque Ceperanum, marchia Anconitana, ducatus Spoletanus, terra comitissæ Mathildis, comitatus Bertinorii, exarchatus Ravenna, Pentapolis, Massa Trebaria, cum adjacentibus terris, & omnibus aliis ad Romanam ecclesiam pertinentibus, cum omni jurisdictione, districtu, & honore suo. Quæ omnia deinde post annos sex a. 1219. Honorio III. & 1230. mense Julio, Gregorio IX. alia bulla aurea confirmavit. (a) Atque sic tandem finita de hereditate Mathildis contentio, papæ cum aliis terris, bona Mathildis in ea Etruriæ parte, quæ adhuc hodie sub nomine patrimonii S. Petri ecclesiæ Romanæ subjecta est, cesserunt. Reliquam vero Tusciam in sua, & imperii potestate retinuit Fridericus: & cum Gibellinorum, Gvelforumque factionibus graviter ageretur, armis sæpe turbulentos ad officium reduxit. Extant varia hujus auctoritatis documenta in P. de VINEIS epistolis. (b) Sic comitem Pandulphuim illi præfecit: (c) Sic filium Fridericum Antiochiæ principem, potestatis titulo Florentinis imposuit, (d) & alio tempore Marinum de Ebullo vicarium Tusciæ, quam nobile imperii membrum in diplomate vocat, constituit. (e)*

a) apud BARONIUM ad an. 1097. n. 71. 77. 79.

b) vid. L. II. Ep. 23. L. III. Ep. 25. L. V. Ep. 93. III. II. 119. 124.

c) Vita Friderici L. II. p. 34.

d) IBIDEM p. 38. & 40. P. de VINEIS L. III. Ep. 9.

e) P. de VINEIS L. V. Ep. 126.

C

§. XIV.

## §. XIV.

*Tusci, & præ-*  
*sertim Floren-*  
*tia, post mor-*  
*tem Frider. II.*  
*in jure impe-*  
*rii manens.*

Manfredus deinde, legitimum Friderici heredem se se-rens, cum Siciliae regno, Tusciam etiam, Gibellinorum auxiliis obtinuit, (a) & Gvelfhos Florentiis aliisque oppidis expulit, (b) qui Alphonfi primum, electi Romanorum regis, opem imploraverunt: (c) qua destituti ad Conradum Friderici nepotem conversi, in Italiam eum, sed itidem frustra, invitaverunt. (d) Clemens vero pontifex cum Carolum Andegavensem a. 1267. regem Siciliae creasset, eundem quoque paciariam Tusciae creavit: ut Gvelfhorum auxiliis collectis, Conradini adversus Italiam conatus occu-aret. Dabimus infra (e) bullam pontificis, ex qua patet, papam, quod tum vacare adhuc imperium, propter discordem Alphonfi & Richardi electionem, contenderet, vices hæcæ Carolo tantum commississe, donec controversia de regno finiretur. Qua conditione & Carolus provinciam adit. Cavet præterea pontifex, nihil vacantis imperii juri- bus detractum iri. (f) Ita non ille modo, & Carolus, jus imperii, sed etiam pleræque civitates Etruriæ, in quibus Gvelfhi dominabantur, & ipsi Florentini hunc vicarium, & in eo imperii jus agnoverunt. Scilicet tum nondum ipsum imperium, sed familiam Friderici & Gibellinos odio habebant. (g) Pisani autem, & Senenses, Gibellinis parti- bus, & Svevicæ familiæ, ad quam hereditario jure spectabat Tuscia, dediti, non agnoscebant Carolum: sed Conradinum, ad avitum regnum recuperandum in Italiam venientem, læti exceperunt, funestoque prælio an. 1268. interfuerunt, quo omnes Svevicæ potentia reliquæ deletæ fuerunt.

a) JOH. VILLANI L. VI. c. 81.

b) IDEM L. VI. c. 85.

c) IDEM L. VII. c. 21.

d) MONACHUS PADUANUS L. III. VILLANI L. VI. c. 85.

e) in app. lit. C.

f) RAYNALDUS ad hunc annum n. VII.

g) VILLANI L. VII. c. 21. RICORDANI hist. Flor. c. 155. MONACHUS PADUANUS ad an. 1267.

## §. XV.

Ex iis, quæ hætenus deducta sunt, apparet, quomodo post mortem Mathildis, Tusciæ marchionatus à reliquis principatibus, quos tenuerat, separatus fuerit: quomodo patrimonium ipsius in imperatorum potestatem pervenerit, ac illa, quæ per Tusciam sita sunt, hereditario jure penes posteros Friderici I. manserint: & quomodo denique, diuturna inter pontifices Romanos atque imperatores, de opima hac hereditate, controversia composita fuerit: qua compositione ab Etruriæ marchionatu avulsa fuit omnis regio, quæ à Radicofane protenditur. Cæterum ille marchionatus videtur feudum fuisse hereditarium: cum & Henricus Leo illum hereditario jure sibi debitum contenderit, ac Friderici posteri, pari illum jure tenuerint. Passim etiam civitates ab obsequii erga marchiones nexu solutæ, vicinum quoque agrum, & oppida in eo sita ab iis redemerunt. Ita Gvelphus civitati Lucæ, è superioritate sua dimisit, quicquid juris sui, per aliquot circum milliaria fuerat. Verba privilegii sunt: *Lucana civitati, totique ejus populo do, concedo, atque confirmo omne jus, actionem, & jurisdictionem, & omnes res, quæ quoquomodo mihi pertinent, vel ad marchiam pertinere videntur, vel ad jus quondam comitisse Mathildis. (a)* Quæ civitates ita, una cum agrò immediate regibus subjectæ fuerunt.

a) Apud FLORENTINUM L. II. p. 350.

## SECTIO II.

DE JURE IMPERII IN TUSCIAM,  
PRÆSERTIM FLORENTIAS, USQUE AD  
EXCESSUM MAXIMILIANI I.

## §. I.

**R**udolphus Habsburgicus rex Romanorum electus, patre quidem, consensu electorum, quæ concesserat Fridericus

Rudolphus  
Tusciam à  
Carolo Sicilia  
rege recipit:  
Vicarii ipsius  
per Etruriam.

dericus II. tandem reliquit: Tusciam vero Carolus Siciliae rex, qui ut vicarius illam rexerat, an. 1278. imperio restituit. (a) Unde cum animum proficiscendi in Italiam præferens, archi-episcopum Trevirensem præmisset, qui populos officii admoneret, is Florentinis quoque venturum regem nuntiavit. (b) Verum eum nunquam in Italiam ivisse, nec tamen adeo iurium in ea imperialium prodigum fuisse, ut vulgo ferunt, constat. In Tusciam vicarios itentidem misit. De quibus hic annotare nonnulla opus est, ut confusionem evitemus, quam deinde observabimus in locis historicorum, qui de Rudolphi actis ad Etruriam spectantibus, egerunt. Cum opera cardinalis Latini Frangipani, a. 1280. compositæ Florentinorum discordiæ domesticæ essent, Rudolphus a. 1281. vicarium in Etruriam misit, qui Miniati aliquandiu commoratus, & Florentinos, ac Lucenses oppugnare cœpit. Sed cum viribus impar esset, nec Rudolphus succurrere posset, Florentini eum data pecunia eò adduxerunt, ut excederet Etruriã, pollicitus, regem vetera urbi privilegia confirmaturum: (c) quem & id fecisse, testatur AMMIRATUS. (d) Tum Florentini a. 1281. fundamenta jecerunt novæ formæ administrandi per priores artium temp. Habemus etiam diploma de a. 1284. quo revocata Rudolphi, electi archi-episcopi Salzburgenfis potestate, Johannem de Avesnis vicarium imperii in Etruria creavit. (f) Quod exhibendum lectori censuimus, cum jura & officia istius modi vicariorum luculenter recenscat. De Johanne quidem nihil ulterius constat. Et a. 1286. rex eo titulo honoravit, commendatum sibi ab Honorio papa, Princivallem Fliscum Genuensem, e Lavaniæ comitibus. Is ubi Florentias venit, civitates ad sacramentum citavit; quod præstare cum recusarent Florentini, urbe egressus eos proscripsit. Florentini ad imperatorem, & papam de sententia provocabant. Fliscus autem in Germaniam reversus, inde militum manum secum in Etruriam duxit, & Aretinos in bello adversus Florentinos atque Senenses juvit. (g) Quo  
durante



durante populus Florentinus a. 1289. fœdus cum Carolo II. Siciliæ rege pepigit, non tamen quale cum patre ipsius fuerat, sed tantum ut capitaneum ipsis daret, qui sibi cum 100. equitibus, in omni bello, regis nomine adesset. (b) De hoc Princivalle scribit JORDANUS: (i) *Rex Rudolphus vicarium misit in Italiam, dominum Priavalem de Flisco, qui ditiior clericus erat in simplicibus præbendis, quam aliquis clericus, & omnibus cessit propter dictum principatum. Factus est autem tantum pauper, quod coactus est vendere jurisditionem imperii civitatum Tusciæ. Unde Lucani dederunt ei de dominio, quod habebat in suo territorio, duodecim milia florenorum.* Ad quem vero annum Maphæum Lucchinum referam, quem CUSPINIANUS vicarium Tusciæ fuisse scribit, non reperio.

a) Conf. RAYNALDUS ad an. 1278. n. 65.

b) AMMIRATUS L. III. p. 157.

c) VILLANI L. VII. c. 77. Sed apud eum nomen vicarii omissum est. AMMIRATUS, L. III. p. 157. LODDO illum nominat. Habemus apud RAYNALDUM ad an. 1281. n. 17. literas Martini II. pontifici quibus Tuscis, vicarios regis, episcopum Gurcensem, & Rudolphum cancellarium regium commendat: ad quorum alterutrum forte hæc spectant.

d) l. c. p. 158.

e) VILLANI l. c. c. 79. AMMIRATI l. c. p. 160.

f) quod infra lit. D. integrum dabimus.

g) VILLANI L. VII. c. 91. & 94. AMMIRATUS L. III. p. 167. 169.

h) AMMIRATUS l. c. p. 176.

i) apud RAYNALDUM ad an. 1288. n. 22. ubi testatur eadem reperiri apud PTOLEMÆUM Lucensem in hist. eccl. MSc. L. XXIV. c. 21.

## §. II.

Ab hoc Rudolpho sunt, qui libertatis Florentinæ repant initia: forte in errorem inducti, quod Florentinos, quos suo tempore libertatis specie gloriari viderent, vicarii imperialis minas, paratamque vim argento avertisse, & eodem tempore novam velut reip. formam condidisse legerent. Neque tamen veteres auctores habet illa opinio: Ex Italis BLONDUS illi favet: (a) *Rodolphus, inquit, solo titulo tunc imperator, cancellarium suum in Etruriam mittens, principalem de flisco (l. Flisco) Genuensem, omnes, qui pecuniam attribuerunt,*

*Sententia illorum, qui Florentinos, libertatem à Rudolpho emisse scribunt, proponitur.*

erunt, in libertate dimissos, imperii fideles pronuntiavit, per quam occasione, Lucenses duodecim millibus auri datis, libertate donati sunt, & Florentinus populus, ad quietem jam perductus, novam incubavit, saluberrimamque regiminis formam. Hunc PLATINA, (b) & utrumque DECIUS cum pluribus aliis Ictis Italii sequitur. E Germanis TRITHEMIUS, (c) incertus ipse, ea de re ad an. 1286 sic scribit: Anno prænato Rudolphus rex, ad instantiam Romani pontificis, vicarium suum, nomine tam suo, quam imperii misit in Italiam, ut in omnibus locis jurisdictionem, & justitiam faceret imperialem. Qui veniens in Tusciam, ab his, qui Guelforum partium erant, civibus Florentinis, Lucensibus, & nonnullis aliis, fidelitatis, & obedientia juramentum, Romano imperio debitum exigebat. Quod illi cum nullo pacto facere consentirent, vicarius in furore succensus, Florentinos in sexaginta millibus argenti maris, Lucenses vero in duodecim florenorum millibus pro inobedienti demerito condemnavit: pecunia accepta in Germaniam reversus est. Fuerunt, qui scriberent, Rudolphum regem, auri cupidum, cancellarium suum pro vicario misisse in Italiam, qui accepta pecunia populis libertatem venderet. Ea de causa Florentino: exposuisse tot argenti marcas, Lucenses quoque, & alios contulisse pecuniam, ut libertate cõempta, imperii non subderentur deinceps iustionibus. Qui hoc factum contendunt, in argumentum assertæ veritatis consequentia produunt: quod Florentini mox post impetratam pro pecunia libertatem, magistratum instituerint, quem priores artium vocaverint, addito & alio, quem velut majestatis & libertatis principem, vexilliferum justitia nuncupabant. In quem modum & alias plerasque urbes libertatem sibi comparasse referrebant. CUSPINIANUS (d) ita narrat: Vicarium imperii in Etruria constituit Lucchinum Maphæum vice-comitem, Romandiolamque & Ravennatam exarchatum pontifici, & ecclesie concessit, quod modico tributo sub imperatore libere debebant, multasque auri libras per Henricum Basiliensem episcopum in Italiam misit Pisani. Ab Bononiensibus vero, Florentinis, Genuensibus, Lucensibus, pro libertate (sed in gravem Romani imperii jacturam) grandem congestit pecuniam. Italici scriptores tradunt, (sed perperam & falso) Nicolaum III. pontificem max. vicarium in Etruria

*Etruria Rudolpho, quod terram sanctam non ingrederetur, abstulisse. Qui certe non fuisse passus hanc sibi fieri contumeliam, qui princeps erat sua aetate bellicosissimus. Sed id profecto omnes attestantur, quod ab omnibus pecuniam recepit, libertate concessa, & imperii fideles pronuntiavit. Quam rem Honorius IV. pontifex, uti infamem, sibi tamen & Italiae non inutilem, non magis probavit quam prohibuit. Quod vero videtur hic Henrico episcopo Basileensi cancellario regio, quem, sedente Honorio, exeunte an. 1285. Romam legatum missum constat, tribuere: id GERARDUS à ROO (e) adscribit Rudolpho Hoheneckio, coadjutori Salisburgensi, cancellario itidem regis, quem sedente Martino, vicarium in Italiam misit.*

a) Dec. II. L. VIII. ad an. 1285.

b) in vita Honorii IV.

c) in Chron. Hirsaug. ad an. 1286.

d) in hist. imperatorum p. 354.

e) Kerum Austriacarum p. 34.

### §. III.

Sed neque veteres scriptores rem memorant: & Florentini postea imperii majestatem agnoverunt, nec unquam, ubi maxime ipsorum intererat, tabulas producere ausi sunt. Ut jam non de obscuritate, & erroribus testimoniorum dicam; BLONDUS gesta Flisici, cum prioris vicarii, qui an. 1281. venerat, rebus, manifesto confundit. TRITHEMIUS inter varias aliorum relationes fluctuat. Neque forte Florentini hodie provocare ad Rudolphum libertatis auctorem voluerint, cum eruditus, & facundus illorum civis, VINCENTIUS BORGHINUS singulari opera eam opinionem confutaverit. a) Si tamen re vera aliquid contigit, quod occasionem talia scribendi dederit, privilegium erit Rudolphi an. 1281. impetratum: neque tamen de omni moda libertate intelligendum, sed forte de exemptione à potestate marchionis, sive vicarii Tusciae. Siquidem & ipse BLONDUS, vicarium omnes, qui pecuniam attribuerint, in libertate dimissos, imperii fideles pronuntiavisse, hoc est,

est, non jam sibi obnoxios, sed immediate parentes imperio declarasse, scribit. Quemadmodum in Germania multæ civitates nunc liberæ sunt, atque immediate imperio subjectæ, quæ olim aut duces, aut præfectos alios, imperii nomine acceperunt.

a) In dissertationibus ejus (*discorsi di Vicenzio Borghino*) P. II. (*Florentiis 1585. apud Juntas*) habetur disquisitionio: Se Firenze ricompero la libertà da Ridolfo imperadore? Et ille quidem Florentias jam ante Rudolphum liberatas fuisse credit: sed facile ex iis, quæ superiori sectione attulimus, refelli poterit.

## §. IV.

*Indicia juris  
imperii in E-  
truriam, ac in-  
primis civita-  
tem Florenti-  
nam, sub Adol-  
pho, & Alber-  
to Austriaco.*

An. 1293. Adolphus Nassovius vicarium in Tusciam destinasse Iohannem Cabillonensem, (*de Gabilone*) qui honorifice à pontifice Bonifacio receptus sit, legitur. (a) Hunc eundem intelligit haud dubie VILLANUS, (b) quando scribit: Albertum Austriacum an. 1294. precibus Gibellinorum permotum, vicarium imperii constituisse Johannem de Celoria Burgundum: qui cum 500. militibus in Tusciam profectus, ac ab Aretinis receptus, Florentinos, & Senenses oppugnaverit: Sed mox ipsis Gibellinis, quoniam Gallus erat, suspectus transegerit, conciliante papa, cum Gvelphis, acceptisque a Florentinis 3000. florenis, totidemque à reliquis Gvelphis, an. 1295. in patriam reversus sit. Sed in eo æque, ac alii Florentini erravit, quod Albertum regem Romanorum nominavit, cum Adolphus tum temporis regnaverit. Cum post hujus mortem, Albertum Austriacum, initio Bonifacius VIII. papa non agnosceret, vacare imperium, ejusque jam curam tantisper ad se pertinere prætexens a. 1301. Carolum Valesium, Philippi Galliarum regis filium, & Caroli II. Siciliarum regis generum, capitaneum ecclesiarum cispharum generalem, & paciarium in ea Etruriarum parte, quæ imperio obnoxia erat, creavit: eique, & legato, episcopo Portuensi, provinciam commendavit: (c) manifesto indicio, Etruriam ad imperii jus spectasse. Et ipsi Florentini, Carolum, cum succinctum bellico apparatu viderent, summis honoribus receperunt, eique imperium, & custodiam urbis commiserunt. (d)

a) Anna-

- a) Annales STERONIS ad an. 1293.  
 b) VILLANUS l. c. L. VIII. c. 10. quæ disertius explicat AMMIRATUS ad a. 1295. L. IV. p. 195. & 197. add. discorsi di VINCENZIO BORGHINI l. c. qui observat, illum non aliter in actis Florentinorum publicis ejus temporis, quam *pretentum imperii vicarium* appellari.  
 c) vid. in app. lit. F.  
 d) AMMIRATUS L. IV. p. 213.

## §. V.

Henricus VII, jura imperii in Italiam, partesque Gibelinas strenue assertum ivit. In Etruriam tendentem exules Florentini, quorum ingens numerus erat, comitabantur; inter quos inprimis Dantis Aligherii nomen eminebat. (a) Florentini ad famam regii adventus in Italiam jam elegerant, quos officii causa, pro more, obviam illi mitterent. (b) Sed ubi perspexissent, illum studiis exulum suorum ferri, mutato consilio, foedus cum reliquis Gvelfhis, Senensibus, Lucensibus, Pistoriensibus, & Volaterranis adversus regem inierunt. Hic quidem Florentias, Roma redux per duos menses obsedit. Sed illi interea Roberto regi imperium urbis, in quinquennium, detulerunt. Imperator autem pertinacia adversarum partium solvere obsidionem, ac differre ultionem coactus, Pisas secessit, ubi Florentinos ob rebellionem proscrispsit, omnibusque privilegiis privavit. (c) Cujus edicti abolitionem Florentini deinde a Carolo IV. ingenti pecunia redemerunt, ut mox videbimus. Et Henricus quidem tum in apparatu majoris belli, non sine ingenti suspicione veneni extinctus, atque ab ejus obitu superiores ubique Gvelfhi rerum potiti sunt. Gibellini tamen Ludovicum Bavarum in Italiam invitarunt, venientemque, ex Tuscis primi venerati sunt Guido, qui Aretii tyrannidem occupaverat, & Castrucius, Lucæ dominus, quem vicarium imperii Lucæ, & circum jacentis oræ, nec non Pistoriæ, & per diocesin Lucanam, Pistoriensem & Lunensem, jam ante Francofurti an. 1324. d. 4. cal. jun. creaverat. (d) Cum coronatus esset Romæ, civitates Lucam, Pistorium, Volaterras & Luam cum locis in illa-

D rum

*Sub Henrico VII & Ludovico Bava.*

rum dicecesi sitis, in ducatum mutavit, ac Castruccio, hereditario jure, sub titulo ducatus Lucani contulit. (e) Afsera sic imperii majestate, in majorem Tusciæ partem, in Florentinos, Gvelfhiæ factionis arcem, movit. Sed hæc quoque consilia fortuna destituit, ( ut fere solebant læta initia illarum expeditionum adverso exitu funestari ) turbatusque morte Castruccii, & suorum defectione cæsar, Germaniam repetere coactus fuit. (f) Quo tempore Florentini, mortuo paulo post Carolo rege Siciliæ, suis iterum auspiciis vivere cœperunt. Cæterum neque eos, licet odio Gibellinarum partium faventes illis cæsares repulerint, ipsius imperii jus in dubium vocasse: neque imperatores belli jure perdidisse supremum suum dominium, quamvis unus alterve conatus male ceciderit, quæ mox sequuntur, ostendent.

- a) vid. LEONHARDI ARETINI hist. Florentina L. IV. p. 76. ed. Argent. conf. ALBERTINUS MUSSATUS in historia Augusta Henrici VII. L. IX. XI. XIII. XVI. meminit ARETINUS epistolæ Dantis pro partibus suis scriptæ. Occurrunt & plura in famigeratissimo Dantis poemate istarum turbarum vestigia, quæ data opera illustravit PAULUS MINUS, Florentinus, in apologia civitat. Florentinæ: (Difesa della città di Firenze, & dei Fiorentini, in Lione an. 1577. 8vo.)
- b) Indulget hypothefi suæ BORGHIINUS, cum scribit l. c. de urbe Florentinarum: *era disposta, come membro. Et parte della republica cbristiana, ad onorare lui, come capo temporale del nome cbristiano: Et ajntario in tutto quello, che ragionevolmente si convenisse, Et ancora davantaggio, non temendo, (ne devero doveano temere) di divenire giamai per alcuna spontanea cortesia verso di lui, tributarii e vassalli &c.*
- c) Summam hujus sententiæ expressit SCIPIO AMMIRATUS in hist. Flor. p. 257. sq. *in Pisa diede contra loro sentenza di ribellione; privando per questo la città d'ogni giuridizione, Et sorte di honori, Et condannando il comunne in cento mila marche d'argento. Tolsegli la podestà di batter moneta, coss d'oro, come d'argento; molti suoi particolari cittadini, di quelli, che baveano in mano il governo condannò nell'bavere, Et nella persona.*
- d) vid. diplom. in LEIBNITHI codice juris gent. diplom. P. I. n. 61 & 63.
- e) diplom. Romæ datum d. 15. Febr. an. 1328. vid. l. c. n. 65.
- f) ARETINUS L. VI. init. p. 119.

## §. VI.

A Carolo IV. inter ipsas regni condiciones stipulatus erat pontifex, ut Florentinis ignosceret. Cum deinde coronationis causa Romam proficiscens in Etruriam an. 1355. venisset, post aliquam consultationem tandem cum Florentinis conciliatus est: Peracta res Pisus, ubi Florentini oratores, atque una Volaterrani, Miniateses, Aretini & Pistorienses, Carolum IV. dominum agnoverunt. (a) Compositionis tenorem SCIPIO AMMIRATUS nobis servavit: (b) cujus locum infra (c) subjicimus: sed hic tamen præcipua capita annotasse juvat.. Convenit scilicet, ut Carolus sententiam avi aboleret, ut populo Florentino facultatem secundum leges suas municipales, & statuta vivendi, ac nova condendi concederet: Priores artium, atque vexilliferi justitiæ vicarii ipsius, quamdiu viveret, perpetui essent. Ut pro tributis aliisque præstationibus, quæ antecessoribus ipsius tam ratione terrarum, ab imperio dependentium, quam quocunque alio titulo, debitæ fuissent, 100000. aureos acciperet: atque in posterum censu annuo 4000. aureorum, quamdiu viveret solvendo contentus esset. Nec quis nobis hic objiciat, (quam exceptionem suppeditare AMMIRATUS videri posset) præter sententiam populi egisse oratores talia stipulantes. Ipse enim historicus mox testatur, Florentiis solenni pompa hæc publicata esse, ac Florentinos regem, Romam proficiscentem, 200. equitibus, pro vetere consuetudine comitatos esse: (d) reversoque Pisas, Antonium Adimarum, & Johannem Medicum reip. nomine jusjurandum iterasse: & novum cæsarem privilegia urbis sub bulla aurea denuo confirmasse. Idem imperator cum a. 1364. Petrum Corsinium, episcopum Florentinum, Urbani pontificis ad se legatum, principem imperii creasset, ipsi commisit jurisdictionem per Tusciam, in causis, quæ ad curiam imperialem deferendæ essent. (e) Idem scholæ Florentinæ universitatis privilegia dedit, quibus facultatem gradus conferendi, episcopo tribuit, novamque

*Caroli IV. cum  
Florentinis  
compositione.  
Edita ab illo  
supremi juris  
in Tusciam,  
& imprimis  
Florentinos  
indicia.*

universitatem in protectionem imperii recipit. (f) Eundem imperatorem hortati sunt an. 1376. fideles imperii, ut ad vindicandam illius jura in Etruriam veniret. (g)

- a) *Professione se, e il loro commune liberamente d Cesare, come a loro Sovrano signore, e padrone &c.* AMMIRATI l. c. p. 570.
- b) IBIDEM p. 571. sq.
- c) vid. in app. lit. F.
- d) l. c. p. 572. & 573.
- e) Privilegium, datum Pragæ, extat apud UGHELLUM l. c. T. III p. 198.
- f) Extat privilegium IBIDEM p. 202. adlita in fine est comminatio mulctæ 100. marcarum auri, in violatores ejus: *quarum medietas*, verba sunt, *fisco nostro imperiali, reliqua medietas episcopo Florentino, seu civitati Florentina, ac injuriam passorum usibus veniat applicanda.*
- g) Extat huius argumenti tractatus, inter codices MSC. bibliothecæ Augustæ Vindobonensis, cui adjuncta est status an. 1376. Etruriæ notitia; in qua indicatur, quænam civitates & castra tunc temporis sibi fuerint, societate & fœdere sibi invicem conjunctæ contra imperatorem Romanum, & imperium: atque e contrario, quænam civitates, & castra debitam illis servaverint fidem, ut, licet ab aliis occupata, jure tamen ad imperium spectent. Vid. LAMBECHII comm. de biblioth. Cæf. L. II, p. 817. Extat quidem & FRANC. PETRARCHÆ de pacificanda Italia exhortatio ad Carolum IV in operibus eius p. 531. ed. Basil. de 1581. f. Sed generalia tantum continet.

## §. VII.

*Ruperto fidem  
& obsequium  
profertur  
Florentini:  
Privilegium  
ab illo impe-  
trant.*

Sub Venceslao inultæ grassabantur factiones in Italia. Florentias tamen in censu urbium imperialium habitas, constanter docet matricula apud DATTIUM, Venceslao imperante, confecta. Auxerat ille Gibellinorum potentiam, Joanne Galeacio, vice-comite Mediolani, duce appellato. Et hic cum gravis admodum esset Florentinis, ad Rupertum, qui tum in Venceslai locum electus erat, confugere, miraque rerum commutatione, Gvelphi Cæsarem ad opprimendos Gibellinos auctorem habuerunt. Ex actis illius temporis satis apparet, necessitatem Florentinos officii admonuisse. Siquidem in fœdere, fidem erga imperium profertur, & confirmationem privilegiorum, promisso censu annuo, petunt. (a) Quod privilegium etiam, Moguntia 4. julii, a rege impetravit, legatus Bonaccursius Picti.

Confir-



Confirmata per illud Florentinis locorum, quæ tam in Etruria, quam in Romania tenerent, possessio: sub censu tamen annuo, de quo cum Florentinis convenisset: Ipse Pitus, tanquam populi Florentini syndicus, annulo investitus: priores artium, & vexilliferi justitiæ vicarii regis perpetui declarati: promisitque Rupertus, se illa, ubi a pontifice coronatus fuerit, sub bulla aurea confirmaturum. (b) Et Rupertum quidem expeditio tum improspere fuit. Eum autem secuti imperatores, quantumvis aliis in Germania negotiis distenti, subinde tamen juris sui in Etruriam, & Florentias præsertim, ferente occasione, indicia dederunt.

(a) Vide tabulas fœderis in append. sub lit. G.

(b) AMMIRATUS l. c. p. 384. privilegium ipsum vid. in app. lit. H.

§. VIII.

Cum Sigismundus an. 1433. coronationis causa Romam peteret, quamvis initio res ad vim spectare videretur, tandem tamen de pecunia, cum illo, deque comitatu Romani itineris tractarunt Florentini: Cum urbis Pisanae occupationem exprobrasset, ad honorem imperii eam se tenere responderunt, (a) & quod statim in Italiam venienti legatos non misissent, belli cum duce Mediolanensi prætextu excusaverunt. Ipse vicissim Philippum Mariam, ducem Mediolani, Etruriæ imminentem, intra limites continere: Senensesque, & Florentinos, bellum mutuo gerentes, pacare studuit. (b) Fridericus III. cum an. 1452. Romam peteret, à Florentinis in itum ac reditum ut imperator cultus est. (c) De qua re juvat audire ÆNEAM SYLVIVM: (d) *Verum cum Senas reditum esset, atque ingentes honores apud devotos imperio cives imperatoria majestas accepisset; placuit Æneam episcopum, atque Ulricum Redrer ad Florentiam antecedere, qui literas publicæ fidei innovari peterent; (nam quod rumor esset, cæsarem regi Alfonso, Florentinorum inimico, vicariatum Etruriæ concessisse, verebantur, ne alienati ab illo essent civitatis animi,) illumque petitioni colorem præberent, quia salvus conductus sub nomine regis datus, non videretur ad imperatorem extendi;*

*Conservata imperii jura sub Sigismundo & Friderico III.*

tendi; jam vero imperatorem ex rege factum: mutari literas oportere. Ea res satis insolens Florentinis visa; qui, nomen imperatorium, non vim literis ademisse, sed adiecisse robur, ajebant. Tunque maxime obnoxios imperatori Florentinos, cum Romæ coronam accepisset: dolere se, tantum amulos suos potuisse, ut fidem Florentinam cæsari dubiam redderent: facturos se tamen, quod cæsar optaret. - - atque ita, obtentis literis, cæsar Florentiam rediens, ut imperator & dominus exceptus est. Idem ad comitia Francofurtana status Italiæ, & quidem nominatim Januenses, Florentinos, Senenses & Lucenses vocavit. (e)

a) AMMIRATUS L. XX. p. 1082. add. p. 1085.

b) RAYNALDUS ad an. 1433.

c) AMMIRATUS L. XXII. p. 70. RAYNALDUS ad an. 1452.

d) in hist. Friderici, in JO. SCHILTERI collect., scriptorum rerum German. p. 90.

e) ÆNÆÆ SYLVII Ep. 127.

### S. IX.

*Sub Maximiliano.*

Nec Maximilianus de jure imperii quicquam remisit: memoremque ejus se, in Gallicis præsertim turbis, ostendit. Cum enim Carolus VIII. ad occupandum Neapolitanum regnum movisset, atque in transitu Etruriam etiam infestasset, in comitiis Vormatiensibus a. 1495. in ipsa propositione regia, de injuria, & de illis imprimis, quæ Florentiis, & Pisis gesta erant, questus est: quo loco eas civitates imperio immediate subjectas vocat. (a) Mox denuo in comitiis Lindaviensibus a. 1496. opem statuum imperii adversus eos petiit. (b) Cumque ipse a. 1497. fœderatorum rogatu in Italiam venisset, (c) Florentinos ut ad officium à fœdere Gallico redirent, utque judicem se in controversia cum Pisanis agnoscerent, hortatus est. Qui responderunt legatis, se statim, ut de adventu imperatoris in Italiam nuntium accepissent, legatos ad illum, ut conveniret reipublicæ, destinasse, qui simul jura civitatis in Pisanos demonstrarent. (d) Sed deinde, cum arma jam pararet cæsar,

far, Genuam oratores mittebant, placandi illius causa, qui de fide reip. testarentur. Nec iudicium declinabant, sed Papius Iustus demonstrare debebat, ut, antequam de causa disceptaretur, Florentini in possessionem Pifarum restituerentur. (e) Cæsar certus consilii, nihilo fecius jam Labronam obfidebat, cum Venetorum artibus omnis in iritum caderet expeditio. Sed postea in fœdere, cum rege Galliarum Ludovico XII. Blesius 1504. inito, Florentina quoque causa ea lege composita, ut tum quidem imperator condonaret Florentinis, quæ Gallicarum partium studio contra majestatem imperii fecissent, sed vicissim rex Galliæ, illis in posterum auxilio non esset, si debiti imperatoribus Romanorum obsequii obliviscerentur. Articulum ipsum infra sciemus. (f) Cujus compositionis fructum senserunt Florentini, a. 1509. Tum enim, ut verbis utamur GERARDI de ROO: (g) *Cæsar Veronam se conferens, Florentinorum legatis amplissima privilegia, & imperii quæ habebant iura confirmat: qui illi quadringentas sese auri libras brevi appensuros, recipiunt.* Atque sic apparet juris imperialis in statum Florentinum tam liquidis argumentis probata continuatio, ut nec præscriptio, & multo minus disertis verbis facta omnimodæ libertatis concessio, ulla verisimilitudinis specie allegari queat.

a) Ita in ipsa propositione cæsarea verba se habent, in MULLERI Reichs-tags-Theatro unter Maximiliano, II. Vorstell. IV. capit. Zum andern, hetten sp̄gut Wissens, des Betrangs, Beschwerung, vnd Farnemens, so der Kunig von Franckreich, gegen vnserm heiligen Vater den Pabst, vnd vnd Baischen Landen, auch sonderlich gegen den Stetten Florenz, Pisa, vnd andern, so dem heiligen Reich on mittel zugehörig, vnd vnderworffen, geubt het, vnd noch in täglicher Übung were.

b) MULLER l. c. III. Vorstell. c. 7. So seyn auch vnser heilliger Vatter Pabst, vnd der Kunig zu Neapolis, in täglicher Übung und Arbeit, ir Land vnd Gebiet mit den Franckosen, vnd iren Anhengern zu Komen als k̄r̄lichen gesehen; vnd nachmals wird der Kunig von Neapolis mit vnseres heiligen vatter Pabsts vnd seinen dienst-leuthen über die Florentiner, so noch des Kunigs von Franckreich parthey halten, sichen, vnd vnderstehen, sy zu vnser parthey, vnd in des heil. Reichs gehorsam zu bringen.

Dau

colebant: ex quarum sententia Rhodii in oratione apud senatum Romanum. (b) *Græci domesticis quondam viribus etiam imperium amplecebantur: nunc imperium ubi est, ibi ut sit perpetuum, optant: Libertatem vestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt.* Hujus sui cum imperio nexustot edita ab ipsis Florentinis documenta observavimus: quæsitam, & sæpe magni emtam privilegiorum confirmationem, fidei suæ erga cæsares testificationem, censum, petitamq; investituram. Urbs ipsa Florentiarum jus cudendæ monetæ, statuta sancienti, academiam condendi, privilegii cæsaris acceptum retulit: summi ejus magistratus vicarii ab imperatoribus creari voluerunt. Florentini imperatoribus cum in Italiam venirent, legatos officii causa, ad instar aliorum imperii clientum, miserunt: idque, cum omisum esset aliquando, excusarunt. Ad coronationis solennia suos miserunt, atque ad urbem advenientes exceperunt pompa, non qua liberi populi advenientes forte principes exteros, sed qua dominos subditi solent. Quemadmodum vero Florentinorum legitime quæsitapri-  
vilegia nemo in dubium vocaverit, ita & ipsis vicissim ante oculos esse debet: qui victi semel sunt, & longo tempore paruerunt, si jugum excutiant, non libertatis favore frui, sed rebelles haberi. (c)

- a) conf. GROTIUS de I. B. & P. L. II. c. 24. 6. 1. Conf. quæ de libertate statum imperii commentatus est perillustis L. B. de Lyncker Sect. I. & passim alibi.
- b) LIVIUS L. XXXVII. *Exempla regum, exterorum principum majestatem colentium* vid. ap. GROTIUM l. c. L. III. 21. 3.
- c) conf. GROTIUS L. II. c. 4. §. 14.

## SECTIO III.

## JUS IMPERII IN MAGNUM DUCATUM ETRURIAE, ET PRÆCIPUE STATUM FLORENTINUM, A CAROLO V. USQUE AD NOSTRA TEMPORA.

## §. I.

*Carolus V. majestatem imperii in Florentias restituit.*

**I**Nterea Florentini dominationem non divitiis modo per commercia cumulatis, sed bello etiam mire firmaverant. Sed sub Carolo V. contraria eos manebant fata. In bello Italico, quod cum Francisco I. gesserat cæsar, omni ope Gallos juverant. Accidit etiam, ut Clemente VII. ab exercitu Caroli obsessio, familiam ipsius, quam imminere libertati suæ suspicabantur; patria expellerent. Cum itaque de pace inter papam & imperatorem, Barcinone 1529. convenisset, inter reges pacis fuit, ut Carolus Mediceos in pristinum honoris statum reduceret. Qui cum in Italiam venisset, jam non imperii modo, sed pontificis quoque injurias ulturus, legatos ad placandum eum Bononiam miserunt Florentini, qui commissorum veniam impetrarent, seque imperii fideles profiterentur, modo imperator libertatem ipsi concedere vellet. (a) Quibus ille respondit: Se quidem Florentinis ob gravissima in se, & antecessores patrata facinora jure irasci, neque sibi vires deesse, quibus injurias vindicet. Condonaturum tamen perduellionem, si pontificem, civem suum, cum familia Medicea in pristinum dignitatis locum restituerent. (b) Quam conditionem cum maxime averfarentur, atque extrema experiri mallent Florentini, cæsar principem Arausiacæ obsidere urbem jusfit. Post ingentia diuturnæ obsidionis mala pertinaciter tolerata, tandem 1530. d. 12. Augusti certis conditionibus se dedidere, quarum prima fuit: ut Florentini Mediceos, & cæteros expulsos in bona & honores, quibus eos exuerant, restituerent, & sese cæsaribus arbitrio permetterent: qui quadrimestri spatio reip. administrationem ordinaret.

ret. (c) Neque hic JOVIO, quanquam cœvo, auctore uteremur, quem non optimæ fidei haberi constat, nisi eadem BENEDICTUS VARCHIUS, gravisissimus scriptor, traderet.

- a) JOVIUS L. XXVII. VARCHI hist. Florent. L. IX. p. 233. *Che come buoni e ubbidienti figliuoli dell' imperio, erano venuti in nome della città, e disposta la repubblica Fiorentina a fare umilmente riverenza à sua maestà.*
- b) JOVIUS l. c. VARCHIUS. l. c. p. 234. *Che i Fiorentini, per aver essi mandato le genti loro, in aiuto del Re di Francia, à monsignore Lotrec, contra la maestà dell' imperatore, avevano tutti i loro privilegi antichi perduto, e conseguentemente della loro libertà, per li grave eccesso, e mancamento caduti; pur non dimeno, se si sottomettesero alla santità del papa, ch'era pur lor cittadino, e benemerito della sua patria, e lo ricevevano in casa, in quel modo, ch'egli era, innanzichè nel cacciaffero, si potrebbe perdonare all' ingratitude, e perfidia loro, senza curarsi, per la unanità, e benignità dell' imperatore di gossigargli, come per la fellonia commessa, e per la ribellione loro, meritata avevano.*
- c) VARCHI L. XI. ubi conventionis tabulæ.

## §. II.

Misit ergo an. 1531. imperator Florentias Johannem Antonium Muffetolam, legatum, Neapolitanum Jctum, qui 6. Julii senatui populoque Florentino cæsaris mandata ex diplomate, Augustæ, 21 Octobris a. 1530. confecto, (a) de statu reip. ordinando significavit. Summa hæc erat: Cæsarem Florentinis ignoscere, & privilegia ipsi ab antecessoribus concessa, confirmare: reipublicæ eam restitui formam debere, quæ a. 1527. fuisset: Alexandrum Medicum omnium magistratum principem esse, inque ea dignitate, hereditario jure, filios legitimos, natu majores, & Alexandri familia extincta, Cosmi & Laurentii Mediceorum domos, eodem ordine, succedere debere. Adjecta comminatio, urbem, si contra hoc decretum unquam aliquid fecisset, omnibus privilegiis amisissis, in imperii potestatem recidisse censendam, & centum marcas auri solvere debere. Tum gratias cæsari egere Florentini, interprete Benedicto Buon-delmonte vexillifero, quod condonatis reip. veteribus offensis, statum ejus tam sapienter instituisset. (b) Et adeo

*Imperator  
Alexandrum  
caput reipub-  
licæ Floren-  
tinae consti-  
tuit.*

tum nominis cæsarei auctoritas publice præferabatur, ut oratores, mox gratiarum agendarum causa ad cæsarem misisti, eo præsertim nomine in veterem populi dominationem inveni juberentur, quod cæsarum in Italia potentia adversa facta semper fuisset. (c)

- a) Diploma ipsum subjicimus in app. lit. K. & instrumentum quo negotium ab oratore cæsareo gestum describitur ibid. lit. L.
- b) VARCHI l. c. p. 473. & 475. nec ingratum erit lectori, ipsum solenne instrumentum, quo descriptio rei gesta continetur, inspicere posse in append. lit. K.
- c) IDEM p. 477.

## §. III.

*Alexander  
dux Florenti-  
nus creatur.*

Potuissent hanc mutationem ferre Florentini, qui conservatis prisca magistratibus, solum caput reipublicæ impostum videbant. Sed pontifex operæ pretium minime fecisse ratus, nisi Medicæ ex principe reipublicæ, dominum fecisset, variis artibus eo rem adduxit, ut a. 1532. creati XIII. Viri ordinandæ civitatis causa, concilio procerum, quod ex prioribus artium, & vexillifero justitiæ compositum erat, cujus vis per 250. annos steterat, abrogarent. Tum Alexandrum reipublicæ Florentinæ ducem appellant, & hereditarium jus familiæ, eodem, quo imperator designaverat, ordine transcribunt. (a) Senatores adjungunt XLVIII. qui optimatum concilium referrent, & CC. viros ex civibus legunt. Quæ forma calend. Maji illius anni solenniter introducta fuit. (b)

- a) VARCHI L. XII. p. 480. ubi fusc novam illam status Florentini formam describit.
- b) IBIDEM p. 483.

## §. IV.

*Imperator ju-  
dex inter no-  
vum ducem, &  
exules Floren-  
tinos.*

In ea rerum conversione, cum multi proscripti essent, alii sponte patria excederent, mortuo Clemente VII, exules, & tota inimicorum Alexandri factio, in quibus Philippus Strozzius, & cardinales Salviati, Rudolphi, & Medices eminebant, ad cæsarem legatos miserunt, questuros de non servata pacti, quo libertatis conservatio promissa erat, fide, deque injuriis & flagitiis Alexandri, quem ob ea puniri pe-

ri petebant. (a) Quem judicem cum nec Alexander recufare poffet, cæfar Neapoli utramque partem a. 1535. audivit: Aft cum nollet denuo, fe abfente, turbari Etruriam, fperaretque auxiliis, & pecunia novi ducis, in bello adverfus Gallos adjuvari, fententiam tulit, quam pacandæ civitati convenientiffimam credidit: ut exules cum duce in gratiam redirent, & bona reciperent, ortæ vero inde lites à legato fuo deciderentur. (b) Sed illi quidem carere patria, quam dominum in illa ferre, maluerunt. (c) Cæfar autem, confirmato ducis titulo, filiam ei Margaretham d. 29. Februarii in matrimonium dedit,

a) VARCHI L. XIV. p. 529.

b) IBIDEM p. 571.

c) IBIDEM p. 579.

### §. V.

Mox Florentias venit imperator d. 29. Aprilis, & ut dominus exceptus est. Ingenti clavis civitatis porrexit Alexander, quas ftatim ei reddidit. (a) Miraturque historicus, & de odio cæfaris in civitatem interpretatur, quod nullum privilegium, nullum ediderit gratiæ imperialis, ut confveiffent olim imperatores, qui Florentias veniffent, documentum. (b)

a) VARCHI L. XIV. p. 581.

b) IBIDEM p. 584.

### §. VI.

Occifo Alexandro 1537. nondum oblitos libertatis XLVIII. viros in Cæfaris reverentia continuit cardinalis Cibus, utque Cosmum ducem fumerent, adduxit. (a) qui & ipfum Cosmum, ut in officio maneret, graviter hortatus est (b) Ipfam formam Sc. an. 1536. d. 9. jan. facti hic fubjiciemus, ut melius confcet, quàm follicite cæfarei nominis curam habuerint. (c) Arcem interea Florentinam Alexander Vitellus, Liburnienfem Facius Buzzacherini Pifanus, cæfaris nomine, obtinuerunt (d) qui eas in poteflate retinuit, & anno demum 1544. duci, acceptis 200000. fcutis, certus jam de



de ejus in obsequio constantia, permisit. (e) Sed nec novus principatus stare posse visus est, nisi auctor cæsar fieret, qui legatum Ferdinandum Sylvam, comitem Cifuentes, ordinandis Florentinis rebus misit. Is d. 21. junii solennibus tabulis *ducatum Florentiæ, revolutum ad imperatorem præfatus, excluso ob majestatis crimen Laurentio Mediceo, omnique eius posteritate, Cosmo, ejusque filiis, & posteris eorum masculis legitimis, eisdem, quibus Alexander habuerat, privilegiis contulit.* (f) Ex quo apparet, nulli Mediceorum, nisi qui ad Cosmum genus referat, nec nisi maribus, succedendi spem esse, ordinemque successionis a Carolo designatum, non nisi a cæsare immutari posse.

a) ALDO MANUCI in vita Cosmi p. 53 (vita di Cosimo de Medici primo granduca di Toscana. Bon. 1586. f.)

b) IDEM p. 57.

c) Vid. in app. lit. M.

d) MANUCI p. 58.

e) IDEM p. 87. 88.

f) VARCHI p. 632. MANUCI p. 74. alterius diplomatis ejusdem argumenti Monzoni ult. sept. ej. anni ab ipso imperatore Carolo signati meminit. Quæ est confirmatio actorum legati: Utriusque excerpta dabimus infra in app. lit. N.

### §. VII.

*Senæ ab imperatore Carolo V. Philippo filio conceduntur.*

Perstiterant in obsequio imperii Senenses, iisque Hispanos præsidio imperator imposuerat. Qui cum inopenter agerent, cives Gallorum auxilium firmati, ejecto a. 1552. præsidio, patriam in libertatem vindicant. (a) Proscripta ob id urbs a camera imperiali, & tandem a Petro Toletano, pro-rege Neapolitano, & Cosmo duce, post fortiter tolerata durissimæ obsidionis mala an. 1555. ad deditionem compulsa est. Cujus leges præcipuæ fuerunt, ut Gallis tuto discedere liceret, urbs ipsa libertatem, propriosque magistratus retineret. (b) Sed rejectis his conditionibus, imperator urbem, ob perduellionem, omnibus privilegiis privatam, ad fiscum imperii recidisse statuit, eamque Philippo filio tradidit. (c)

a) MANUCI p. 102. add. THUANUS L. XI.

b) MANU-

b) MANUCI p. 127. THUANUS L. XV.

c) MANUCI p. 131. THUANUS L. XV. p. 477.

## §. VIII.

An. 1557. imminentibus Gallis regno Neapolitano, Cosmus eo rem adduxit, ut Philippus ipsi Senas in feudum francum concederet: Portus Herculis, Orbatello, & Telamo, insula Elvæ, præter portum Ferraii, quem dux retinuit, Hispanis manserunt, adjectæ conditiones, ut rex 4000. peditum, & 400. equitum per sex menses submitteret, quorum ope loca a Gallis adhuc infesta recuperaret. (a) Porro cavebatur, ut Cosmus, quicquid Philippus, & Carolus patet, ipsi deberent expungeret, & regi, si regnum Neapolitanum, aut ducatus Mediolanensis unquam à fœderatis, inter quos ex Italiæ statibus essent, invaderetur, 4000. peditibus, & 400. equitibus adesset. Si Etruria invaderetur, rex duci 10000. pedites, 300. equites, levis armaturæ (cavallegieri) & 300. milites (huomini d'armi) submitteret. Magistratus urbani, & præfecturæ in agro Senensi ab indigenis administrarentur. In has leges Johannes Figueroa, orator regius, eodem anno, Cosmum Florentiis de statu Senensi investivit, ordinemque succedendi præscripsit, ut in primogenitos semper propagaretur. (b) Ea conditio Senarum mansit, atque adhuc Carolus II. Hispaniarum rex, de vicariatu Senarum, cum potestate subinfeudandi, a D. Leopoldo investitus, eundem iterum magno duci concessit. Quam subinfeudationem deinde, petente magno duce imperator confirmavit. (c)

a) MANUCIUS p. 136. sq. CINI p. 408. sq. SLEIDANUS T. II. L. II.

b) CINI l. c.

c) III. auctor der gegenwärtigen verfassung der Kaiserlichen regierung in Deutschland, in app. documentor. p. 471.

## §. IX.

Vidimus hæcenus Cosmum imperii majestatem constantè veneratum. A quo proposito eum discederet aliquantisper, in contentione cum duce Ferrariensi de loco honoratiori,

*Controversia de precedenza inter duces Ferraria,*

*Et Florentia  
coram impe-  
ratore tracta-  
tur: Pontifex  
Cosmum ma-  
gnum Etrurie  
ducem appel-  
lat.*

ratori, non tulit rem Maximilianus II. imperator. Tur-  
babat scilicet ista æmulatio omnium sensum principum au-  
las, & Romanam imprimis. Alphonfus Estensis antiquita-  
te principatus, & quatuor ducatum titulo, simulque ex-  
emplo patris, bis Cosmo prælati, nitebatur. Medicæus po-  
tentiam, & libertatem præcipue opponebat: nec unquam  
ambitiosius iactata Florentinorum libertas fuit. (a) Dela-  
ta tandem à Ferrariensi ad imperatorem causa: ipseque  
pontifex consensit, adjicere tamen conditionem voluit, ut  
intra sex menses decideretur: quam imperator merito nul-  
lo loco habuit. (b) Dies itaque dicitur in aula cæsaris, le-  
gati utrinque causam magno apparatu agunt. Hærebat  
imperator inter utrumque affinem. Nam & Ferrariensis,  
& Franciscus Medices, Cosmi filius, sorores ejus in matri-  
monio habebant. (c) Interea elapsis sex mensibus, papa  
causam ad se revocat, invito cæsare, & Ferrariensi, sed læ-  
to haud dubie Florentino, quicquid nobis narret CI-  
NUS. (d) Siquidem, quo maxime se cæteroquin iacta-  
bat, libertatis titulus, parum urgeri poterat in aula Augu-  
sti, eo ipso plus in Romana aula valiturus, quam præterea  
omni officiorum genere dudum sibi devinxerat. Ponti-  
fex itaque, imitatus antecessorem Pium IV. qui cognatus  
Cosmi censerit gaudens, nova eum dignitate evehere de-  
creverat: cum archiducem appellare non auderet, ma-  
gnum Etruriæ ducem solennibus tabulis an. 1569. creat, co-  
ronamque, sceptrum, & pallium regale concedit. Ita &  
Medicæ familiæ magnitudinem æquari ornamentis, & Ferrar-  
iensem dignitati regibus pari, æquiori animo cessurum  
ratus. (e) Cosmus deinde Romam, auspiciis ibi dignita-  
tis sumturus, petiit. Sed legatus cæsareus, Prosper co-  
mes ab Arcu, qui jam ab initio contradixerat, testatus su-  
premum imperii in Etruriam, & civitatem Florentinam  
jus, minatusque imperatoris, & imperii principum indigna-  
tionem, pontificem, ducemque ab incepto nequicquam  
dehortatus est: (f) itidemque ostendit, papam, extra Ro-  
manæ

manæ ecclesiæ ditionem, mutare titulos ordinemque principum minime posse. Peracta 1570. dominica lætare magna pompa coronatio: (g) cui non modo non interfuit orator cæsareus, (h) sed etiam solennem obnuntiationem de jure domini sui opposuit.

a) conf. Ragioni di precedenza tra il duca di Ferrara & il duca di Fiorenza 1562. fol. & 4.

b) CINI l. c. p. 481.

c) IBIDEM p. 482.

d) IBIDEM.

e) diploma pontificis vid. apud MANUCIUM l. c. p. 150.

f) CINI l. c. p. 484.

g) IBIDEM.

h) IBIDEM.

### §. X

Sed nec dux Ferrariæ deterritus ea pompa, quamvis *Imperator acta irrita declarat, ac tandem ipse Franciscum magnum ducem creat.* cliens Romanæ ecclesiæ, rem ad imperatorem detulit. Is probatis, quæ orator suus Romæ egerat, nec literas quidem, quibus magni ducis titulus adscriptus erat, admittere dignatus, statim eas legato reddidit: Tum factum pontificis, frequente aula, irritum pronunciavit, additis minis, se in comitiis Spirensibus, quæ forte instabant, consilia de ulciscenda imperii majestate capturum, factique memoriam in literas redigi jusfit. (a) Romam insuper duos oratores ex consiliariis aulicis misit, qui à pontifice in consilium patrum admisi, jura suprema imperii in Etruriam, & Florentias præsertim adseruerunt, & factum pontificis irritum esse nuntiantes, protestationem comitis ab Arcu, solennibus verbis repetierunt: (b) Quæcunque tum papa, ut cæsaris leniret animum, de libertate Florentinorum rescriberet, (c) tamen rex Hispaniæ quoque, ut cæsari morem gereret, contra magni ducis titulum, per oratorem suum Romæ protestatus est. Nec Veneti, moti auctoritate cæsaris, eum agnoverunt. (d) Lectu digna, adeoque & quæ hic subjeceretur, (e) est imperatoris ad Cosmum ducem epistola, qua jura imperii tam graviter illi in animum re-

F

vocat,

vocat, ut & ipse tandem, non sufficere Romanam inaugurationem videns, iterumque citatus à caesare, necessitati cederet. Itaque Joannem Baptistam Concinum, JCtum, ad aulam misit, qui una cum Ludovico Antenore, ordinario legato, liti denuo vacaret, & jam non amplius plenam libertatem jactans, ab imperatore magni ducis titulum peteret. (f) Magni denuo motus suspicionesque, Italiam inprimis, dum res apud imperatorem agitur, exercebant, quæ prolixè describit auctor FLORENTINUS, quo hic utimur. Et quamvis cardinales, Alexandrinus in Hispania, Commendonus apud imperatorem, (g) lenire animos, & excusare factum conarentur, ac ipse Cosmus modo domum Austriacam officiis omnibus demereri, modo oblatum à Gallis fœdus ostentans, momentum precibus suis addere studeret; cum nihilo secius imperator, nonnisi aut magni ducis Florentiæ, aut magni in Etruria ducis nomen polliceretur, (h) obiit Cosmus a. 1574. antequam lætum exitum consilii videret. Itaque Francisco demum filio ejus & successori, sororioque suo imperator, consentientibus electoribus, magni Etruriæ ducis titulum concessit. Sed suam simul imperio superioritatem iisdem tabulis servavit. Unde & THUANUS scripsit, dignitatem ei, ut beneficiario imperii, collatam fuisse. (i) Ipsum diploma integrum hic subjecimus. (k) Nec papa inaugurationis suæ vim, una cum jactata Florentinorum libertatis existimatione ita concidere videns, quicquam contra movit. Revocata denuo ad tribunal imperii fuit nova dignitas an. 1582. à duce Sabaudia, Carolo Emanuele, qui primum ante reliquos Italiæ principes locum tuiturus, ne præjudicio illi esset novus magni ducis titulus, petiit. Decretum collegii electoralis pro serenissima domo Sabaudica infra (l) dabimus, ex quo facilius de causa lector judicet.

a) CINI p. 489.

b) IDEM p. 490.

c) IBIDEM.

d) IDEM.

- d) IDEM p. 493.  
 e) vid. in app. Lit. O.  
 f) CINI p. 493.  
 g) IDEM p. 497.  
 h) IDEM p. 517.  
 i) Historia sui temporis L. LX.  
 k) vid. in append. lit. P.  
 l) IBIDEM lit. Q.

## §. XI.

Quæ ad dominii Florentini ac Senensis formulam, titu- *Magnus Etru-*  
 lique magni ducis rationem spectant, fatis hactenus excuf- *rie dux plura*  
 fimus. Alio adhuc vitulo serenissimi magni Etruriæ du- *minora impe-*  
 ces imperio adstringuntur. Plura enim feuda, à domo *rii feuda præ-*  
 Malasпина fere cœmta per Etruriam possident, quorum *ter Senas pos-*  
 indicem legatus Florentinus ipse, in comitiis electoralibus *sides.*  
 an. 1711. Francofurti exhibuit. (a)

- a) Vid. Gegenwärtige verfassung der Kayserlichen regierung L. c.

## §. XII.

Jam ex his patet, Carolum imperatorem jure impe- *Ex hactenus*  
 riû in Florentinos usum; nec Alexandrum modo, sed Cos- *deductis con-*  
 mum quoque principatum ab imperatore habuisse. Non *cluditur, in*  
 vero alia formula ducatus Florentini facta est, quam olim *quantum ina-*  
 reipublicæ fuerat, quam imperatoribus tam suæ ditionis, *gni Etruria*  
 quam Pisanae, aliarumque devictarum nomine obnoxiam *duces imperio*  
 fuisse, fatis superiori sectione ostendimus. Senæ vero suas *subjecti sint.*  
 separatas rationes habent, nec alio titulo à magno duce,  
 quam feudi mediati imperialis tenentur: ne quid de illis  
 feudis minoribus, quorum modo facta est mentio, dicam.  
 Itaque licet magni duces in causis Europæ eo jure usi sint,  
 quo reliqui principes utuntur, prouti eadem Germaniæ  
 quoque electoribus & statibus competunt: quantum quidem  
 in genere & vitæ civilis nexus, & privilegia ac con-  
 suetudo exigit; venerantur tamen majestatem imperii, non  
 Senarum modo, feudorumque minorum, sed rei quoque  
 Florentinæ nomine. Et cum Florentinos olim censum  
 annum imperatoribus solvisse, aut aliquandiu omissum de-

inde, soluta insigniori pecuniæ summa, compensavisse, ex iis, quæ cum Carolo IV. Ruperto, & Sigismundo gesta sunt, constat, æquiori animo ferre possunt, si quando in Italicis bellis, pro imperii juribus certanti exercitui cæsareo subveniendum fuerit. (a)

a) quæ de contributionibus questus fuerit legatus Florentinus, vid. in der gegenwärtigen verfassung der Kaiserlichen regierung l. c.

## §. XIII.

*Distinguuntur  
argumenta  
adversa par-  
tis.*

Quæ contra hæc tam manifesta proferant, qui augusti jus in dubium vocare audent, nobis quidem nondum constat. Quæ tamen alia occasione ad evertendum imperii jus attulerunt; quæque ipsi deprehendimus ad id argumentum trahi posse, facile discutiemus. Præcipuum argumentum est, quod Cosmum allegasse pro asserenda sibi dignitate adversus Ferrariensem, scribit CINUS. (a) Nempe Florentias imperio nunquam fuisse obnoxias: & per 400. annos libertatem habuisse. Cumque opponerent Ferrarienses, Carolum in tabulis, quibus Alexandrum & postea Cosmum duces creavit, jura imperii expressè reservasse, & multa alia supremi juris indicia dedisse: exceperunt illi, Carolum V. ut arbitrum egisse, non ut dominum: quæcunque ministri cæsarei pro imperio egissent, sua sponte corruiere, cum in ipso compromisso, salva libertate sua, cæsari potestatem dederint, rempubl. ordinandi: & quæcunque imperator prætenderit, salva mansisse Florentinorum jura. Papa deinde etiam, ut assereret se jure Cosmum creare magnum ducem potuisse, cæsari rescriptis, Florentinos semper liberos, & immunes ab imperii jurisdictione, cum ducem sibi sponte elegissent, illum nec imperatorem, nec quamcunque aliam humanam potestatem recognoscere. (b) Quam libertatem quoque Concinius, orator Florentinus, in aula Maximiliani propugnare justus est. (c) Sed quæ de vetere Florentinorum libertate jactantur, superiori sectione satis confutata sunt. Unde sequitur, integrum superfuisset Carolo V. imperatori, antecessorum suorum

rum jus, eumque illud. per justa arma assertum luculenter in Florentinos exercuisse, & omnino ut supremum dominum egisse. Quod & diplomata ipsius fatis indicant: nec Florentini Colinum ducem, nisi ex præscripto ordinationis imperialis sumserunt, ut ipsa illorum acta publica, in eum finem a nobis prolata probant. Idque nec Cosinus negare amplius ausus est. Sed, ipso potius papa svasore, qui gravibus se incommodis ex re, suo arbitrato gesta, implicitum videbat, honorum augmenta ab imperatore petiit.

a) p. 455. Ita in deductione pro Cosmo, Italice scripta c. 21. p. 20. (edit in f.) leguntur sequentia: *Dove la città, & dominio della republica Fiorentina, da innumerabile tempo in qua, & masime da Ridolfo imperatore, che la dichiarò, & lascio libera del tutto, è stato, & è salmente libera, che non riconosce al cuncto superiore, eccetto il medesimo primo principe, che ella ha creato, & lo imperatore confermato.* Et in alia, latine edita, ita scribit Florentinæ causæ patronus. *Accedit quod Florentina respublica, ejusque principes decreto publico civitatis, ac confirmatione & decreto casureo extitit, non ut a directo domino, sed ab universali pacis, & tranquillitatis Christianæ reipublicæ curatore, atque autore, & Florentina R. P. protectore, ut ejus verbis, casureo diplomate, diserte exprimitur: quo etiam perspicuum est, nulla fidelitate, nullo censu, nulla obedientia, eam reipublicam, ipsumque ejus principem imperio, aut casari obstringi, sed duntaxat sâdere illam majestatem colere. Et paulo inferius: Nullum item superiorem, aut directum dominum recognoscit, nemini fidelitatem, obsequium, reverentiam debet.*

b) IDEM p. 490. c) IDEM p. 517.

#### §. XIV.

Objici porro possit, quod Alexander a Carolo V. requisitus, *Continuatio* ut vassallus imperii fieret, illud negaverit. (a) Ubi quidem valde *ejusdem arguementi.* est probabile, si institisset tum imperator, in cujus manu denuo omnis Alexandri fortuna erat, illum conditionem fuisse admitturum. Verum ille principem, sibi satis acceptum, (b) a quo jam sic eadem auxilia sibi polliceri poterat, quæ vassalli præstare patronis solent, dum filiam ipsi locat, inter geniales apparatus nolebat molestius urgere: parumque interesset, ad cæsaris & imperii majestatem & supremum jus, de quo tum nemo dubitabat, in ducatum Florentinum, liberumne dux an feudi lege teneret. In imperio autem multi fuerunt,



## APPENDIX DOCUMENTORUM.

A.

*Ad Sect. I. §. X. not. b.*

Bulla Innocentii II. qua Lothario Imperatori ejusque uxori,  
& genero Henrico alodium Mathildis confirmat. ex  
BARONII annal. Eccl. ad a. 1133.

**I**nnoctentius Papa II. Lothario Imperatori Augusto, & Riget (l. Rigen-  
zæ) Imperatrici.

Si auctoritas sacra pontificum, & potestas imperialis verè glutino  
charitatis ad invicem complentur: omnipotenti debitus famulatus libe-  
re poterit exhiberi, & christianus populus gratà pace & tranquillitate  
gaudebit. Nihil enim in præfenti seculo est pontifice clarius, nihil re-  
ge sublimius, nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fi-  
des in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera  
religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in per-  
sona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis, & cultor  
justitiæ extitisse cognosceris, & novissime diebus istis, nec personæ tuæ,  
nec propriæ parcendo pecuniæ pro beati Petri servitio multos labores,  
& immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam  
mali patres bona data filiis suis debeant impartire: dignum profecto est,  
ut nos, qui disponente domino, universis catholicæ ecclesiæ filiis debe-  
mus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus,  
& tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum impe-  
rii in suo robore conservandum, & utilitatem ac liberationem catholi-  
cæ ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium,  
quam temporaliter imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimi-  
rum intuitu *Alodium bonæ memoriæ comitiſſæ Mathilde*, quod utique  
ab ea Beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, atque in  
præsentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, ab-  
batum, nec non principum & baronum *per anulum investimus: ita  
videlicet, ut centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus no-  
stris exolvat, & post tuum obitum proprietatis ad jus & dominium S. R.  
E. cum integritate absque diminutione & molestia revertatur.* Quod  
si nos vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transi-  
re oportuerit; tam in susceptione, quam in procuratione, atque secu-  
ro conductu, prout Apostolica sedes decreverit, honoremur. *Qui ve-  
ro arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, B. Petro, & nobis, nostrisque  
a* success-

successoribus fidelitatem faciant. Cæterum pro charitate vestra, nobili viro, *Henrico Bavaria duci, genero vestro, & filia vestra, uxori ejus, eandem terram cum præfato censu, & supra dictis conditionibus, Apostolica benignitate concedimus*; ita tamen, ut idem dux hominum faciat, & fidelitatem S. Petro ac nobis, nostrisque successoribus juret. Post quorum obitum prædictum comitissæ Mathildæ alodium ad jus, & dominium S. R. E. sicut supra dictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducat: salvo tamen semper in omnibus ejusdem S. R. E. jure ac proprietate. Datum Laterani sexta idus Junii.

## B.

*Ad S. l. §. XI. not. k.*

Diploma Henrici VI. datum Pisis a. 1184. quo monasterio S. Benedicti ad Podalironem donationes priorum Tusciæ marchionum confirmat: ex CONTELORII Geneal. Mathildis p. 139.

**I**N nomine S. & individua Trinitatis. Henricus VI. divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Ad æterni regni præmium, & temporalis imperii incrementum, apud Regem Regum nobis proficere non ambigimus, si ad pacem, & profectum ecclesiarum studium præbere curaverimus & operam diligentem. Quare ad imitationem serenissimi patris nostri, illustrium imperatorum & regum, interventu quoque fidelis dilecti nostri Alberti abbatis monasterii S. Benedicti super Padum, & omnium suorum fratrum, de quorum orationibus multum confidimus, & quorum fraternitatem habentes eos diligimus, ipsum monasterium sancti Benedicti super Padum, *quod nobis specialius pertinet cum omnibus suis possessionibus, & monasterium de Gonzaga, & monasterium de lecto Paludano, monasterium quoque Sexcentæ positum in comitatu Lucano, & monasterium S. Martini incola, cum omnibus eorum possessionibus, & omnia alia monasteria, & ecclesias, prædicto monasterio S. Benedicti pertinentes, cum omnibus suis possessionibus, prædicti abbatis personam, & omnes monachos, & clericos, & conversos suos, familiam quoque & omnes habitationes suas, omnia etiam bona mobilia & immobilia ipsius monasterii, & omnium ecclesiarum suarum, & hominum suorum ubicumque sint, in tutelam nostræ definitionis recepimus, & ea omnia prædicta ab imperiali exactione, & jurisdictione, & cujuscumque potestatis, civitatis, vel communis, & omnium nuntiorum, & ministrorum nostrorum præsentium & futurorum, & ab omnibus insuper albergaris, arimaniis, angariis, &*

\* *f. in colle.*

percu-

perengariis, fodris, collectis, bandis, gaudimoniis exempta omnino, & libera, & absoluta esse volumus, atque precipimus pro animæ nostræ remedio, & parentum nostrorum. Quæ omnia prætaxata in integrum prædicto monasterio Sancti Benedicti super Padum in perpetuum donamus, concedimus, confirmamus, & lege semper valitura corroboramus. *Specialiter autem omnia bona mobilia & immobilia, quæ ab Henrico tertio, & quarto, Lothario, & Conrado, & magnifico Federico, patre nostro, Romanorum imperatoribus, & quæcunque nos eidem monasterio largiti sumus, & quæ à marchione Thebaldo, & à progenitoribus suis, & Bonifatio, & Alberto marchionibus, & à nobilissima comitissa Mathilda, & duce Guelphone, & ab aliis viris nobilibus, capitaneis, & valvaforibus, & aliis vassallis, & hominibus nostris cujuscunque conditionis sæpe dicto monasterio, & omnibus aliis suis Ecclesiis donata, & collata, concessa, & confirmata sunt; omnia etiam, de quibus dictum monasterium, & ejus ecclesiæ privilegia, vel cartas authenticas habeant ad jam dicti monasterii, & omnium ecclesiarum suarum pacem, & quietem, & fortitudinem, utilitatem & corroborationem, præcipue omnes Boschos de Pigugnana, sicut continentur in privilegiis suis, & chartula Jo. notarii, & alia quæ in antea Deo dante adipisci, acquirere poterit, donamus, concedimus, confirmamus, & per hanc ducalem paginam in perpetuum corroboramus.* Si quis igitur contra hanc ducalem paginam nostræ munificentie, venire vel ausu temerario præsumperit violare in ultionem suæ temeritatis centum libras auri puri pro pœna componat, medietate cameræ nostræ inferenda, reliqua parte injuriam passis persolvenda, & ut omnia, quæ supra memorata & conscripta sunt, rata perpetuo observentur & inconcussa, præsentem inde paginam ducalem conscribi, & sigillo nostræ majestatis præcipimus communiti. Hujus rei testes sunt Henricus Wormatiensis Episcopus &c.

## C.

*Ad Sc. I. §. XIV. not. c.*

Literæ Clementis IV. quibus Carolum Andegavensem paciarium imperii in Thuscia instituit. ex RAYNALDI annal. ecclæs ad an. 1267. p. 142 n. 7.

Clemens &c. charissimo in Christo filio, Carolo, illustri regi Siciliæ salutem, & cum te in partibus Tusciæ, Romano subiectis imperio nunc vacanti, pacis constituerimus per nostras sub certa forma literas servatorem, in eisdem tibi paciarii seu pacis servatoris officium committentes; dictum officium, & omnia in eisdem tibi concessa literis,

cæteraque ad hujusmodi solidationem negotii pertinentia, ea te lege volumus tantummodo usque ad triennium obtinere, quod si forsitan imperatorem vel regem Romanorum à sede Apostolica approbatum infra prædictum tempus regnare contigerit, aut per sedem eandem prædictum tibi officium interdici, tu amplius eodem officio ultra mensem post interdictionem hujusmodi non utaris; & si contrarium feceris, eo ipso personam tuam excommunicationis, terram vero interdicti sententiis, quas propter hoc ex nunc ferimus, decernimus subjacere. Dat. Viterbii II. non. Junii Pont. nostri anno III.

## D.

*Ad Sect. II. §. I. not. f.*

Diploma Rudolphi I. Regis Romanorum, quo Johannem de Avesnis vicarium imperii per Thusciam constituit ex Thesauro anecdotorum MARTENII T.I. p. 1192.

**R**udolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliarum ecclesiarum prælati, principibus, nobilibus, comitibus, civitatibus, communitatibus, universitatibus, oppidis, castris & villis, & personis singularibus quibuscumque, in partibus Tusciæ constitutis, gratiam suam & omne bonum.

Commissiones seu procuraciones quascumque honorabili viro Rudolpho electo Saltzburgensis ecclesiæ, imperialis aulae cancellario, in bonis, possessionibus, redditibus, proventibus, civitatibus, castris, munitionibus, jurisdictionibus, nec non in aliis in quibus mandatum requiritur speciale, de terra Tusciæ per nos factis, in omnibus suis articulis expressius revocantes, ad notitiam vestram cupimus pervenire: quod nos spectabilem virum JOHANNEM de AVESNIS comitem Haynnoniz fidelem & familiarem nostrum dilectum constituimus, facimus, & ordinamus, nostrum & Romani imperii in partibus Tusciæ vicarium generalem, & insuper procuratorem & nuntium nostrum ad exigendum, petendum, & recipiendum nostro, & ejusdem imperii nomine fidelitatis, hominagii, & servitii nobis debiti sacramenta, a quibuscumque personis, vel locis, nobis in eisdem partibus Tusciæ eadem debeantur, & ad petenda & recipienda bona, possessiones, redditus, proventus, civitates, castra, munitiones, jurisdictiones, & jura quocumque nomine censeantur in eisdem partibus Tusciæ pertinentia ad nos, & imperium supradictum, & ad ordinandum & disponendum de ipsis quicquid sibi videbitur expedire, & iudices & officiales constituendum in negotiis & causis quibuscumque, sicut nos ipsi eosdem constituere possemus, si præsentem esse-

mus,

mus, & ad statuendum, tractandum, & faciendum in prædictis partibus Tusciæ, omnia & singula quæ verus & legitimus vicarius, procurator & nuntius, plenum mandatum & liberam administrandi potestatem habens à nobis, facere potest, & debet, de consuetudine vel de jure, in illis etiam casibus in quibus mandatum requiritur speciale. Sententias etiam, bona, pœnas, & multas, tam in causis criminalibus, quam pecuniariis, & aliis quibuscumque, quas idem, vel constituti ab eo iudices, officiales vel executores tulerint, imposuerint, vel exegerint, ratas habebimus, & faciemus, domino concedente, inviolabiliter observari. Damus præterea prædicto comiti plenam & liberam potestatem & speciale mandatum rebelles & indevotos, si quos (quod avertat altissimus) in partibus Tusciæ repererit, qualiscumque conditionis extiterint, privandi feodis, castris, terris, gratiis, libertatibus, districtibus, privilegiis, juribus, & jurisdictionibus quibuscumque, quos, quas, vel quæ iidem tenere ab imperio dinoscuntur. Nos quoque gratum, ratum, & acceptum habebimus, quicquid per dictum vicarium, procuratorem & nuntium nostrum actum, & gestum, statutum, judicatum, & ordinatum fuerit in præmissis, & circa præmissa, vel quælibet præmissorum.

In cujus rei testimonium, præsentis literas fieri, & pendenti sigillo nostræ regiæ majestatis, in evidens testimonium præcepimus communiti.

Datum Friburgi, Kal. Maii, indictione XII. anno Domini MCCLXXXIV. regni verò nostri anno XI.

## E.

*Ad S. II. §. IV. not. c.*

Tabulæ, quibus Bonifacius VIII. Carolum Andegavensem, nomine imperii, paciarium in Thuscia constituit: ex RAYNALDI continuat. Baronii ad an. 1301.

VENERabili fratri Portuensi Episcopo.

Cum nobilis provincia Tusciæ multis foret confossa doloribus, guerrarum concitata dissidiis, civilibus bellis licentiæ laxatis habentis, ac deformata ruinis, decuit nos ad animarum, corporum & rerum vitanda pericula, in ipsa profequi vias pacificas, & ad unitatem reducere dissentientes, ne se mutuo lacerarent, impeterent, ac molestarent injuste; ut tam nobilis, tantaque provincia in tabernaculis fiduciæ requiesceret, & in pacis dulcedine habitaret; & per hoc in ea purgaretur hæretica pravitas, cohiberetur prædonum audacia, honoraretur sancta Romana ecclesia, & fidelium devotio nutrireretur. Ad nos namque relatio sive digna per-

duxerat, quod nonnulli de dicta provincia cum malitiz suæ conscis, atque confortibus habentes de ipsius turbatione pruritus malignitatis suæ, in favorem nostrorum, & Apostolicæ sedis rebellium, suos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam sua confirmaretur justitia, non cuiquam status suis debitus meritis servaretur. Unde cum fratribus nostris, habita deliberatione matura, *attendentes quod Romanum vacat imperium*, cujus ad nos, præsertim hoc tempore pacifica conservatio dignoscitur pertinere; dilectum filium, nobilem virum *Carolus*, natum claræ memoriæ Philippi Regis Francorum, comitem Andegavensem; de cujus strenuitate, armorum experientia, & bonitate confidimus; *conservatorem pacis in ea parte ipsius Thusciz, quæ prædicto imperio subjacet*, de fratrum eorundem consilio duximus deputandum. Qui provinciam ipsam potenter & prudenter ingressus, hujusmodi commissum sibi paciariatus, seu conservandæ pacis officium, divina sibi assistente virtute, cœpit laudabiliter exercere: ita quod devoti & fideles ecclesiæ sæpe dictæ, de ipsa provincia habere poterunt, dante domino, bonum statum, eruntque præva indirecta, & viæ aspera: planabuntur. Verum, ut hæc salubrius & efficacius impleantur cum quiete ac pace, te, de cujus legalitate, bonitate, circumspectione, & experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus destinare, in eadem provincia nostra tibi auctoritate concessa; per cujus dictus comes favorem protectus, directus consilio, & maturitate adjutus, commissum sibi officium, juxta beneplacitum divinum & nostrum, cum moderatione, ac mensura, tranquillius & utilius possit debite executioni mandare.

Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus te celeriter accingens, & ad partes illas personaliter festinus accedas, & ad ea, quæ comiti memorato commissimus efficaciter promovenda, & laudabiliter consummanda in provincia sæpe dicta per te & alios, de quibus expedire videris, ipsum solemiter inducas, & tam tu, quam ipse vestra studia convertatis ad seminandum in ea semen charitatis & pacis: ut sedatis guerrarum & dissensionum turbinibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipsa tot impulsibus agitata, quasi post noctis tenebras, floridum diei lumen adspiciat; post glaciæ frigus hyemis, aurea sibi tempora, & serena succedant, in quibus afflicti non solum temporalem lætitiæ, sed æternam, auctore domino, consequantur, contradictores & rebelles auctoritate nostra per te, vel per alium, seu alios, per spirituales prænas, appellatione postposita, compescendo &c. Datum Laterani VI. non Decembris anno VII.

'Tenor compositionis inter Carolum IV. Regem Romanorum, & Florentinos an. 1355. initæ: ex SCIPIONIS AMIRATI hist. Flor. L. XI. p. 571. ed. Florent. 1647. f.

ESsendosi dunque gli arabasciadori stretti con Cesare, dopo molte contese, per le quali egli proruppe ad ira grandissima, fu conchiuso l'accordo con questi capitoli. Che Carlo Re di Boemia, eletto Imperadore cassava, e annullava tutte le sentenze, & condannagioni, le quali per addietro fossero fatte ò pronunziate contro la città, cittadini, & comune di Firenze, & suoi contadini; & contra i conti da Battifolle, da Doàdola, da Mangona, & da Vernia per gl' imperadori Romani, & re de Romani suoi antecessori, & tutti & ciascuno intero restituiua ne suoi honori, giuridizioni, & domini personali & reali. Che'l comune, popolo, città, contado, & distretto di Firenze si reggesse secondo gli statuti, & le leggi municipali, e ordinamenti consueti del detto comune, con facultà di poterne far di nuouo, i fatti approuando, & confermando assolutamente, & quelli da farsi, in quanto le comune leggi espressamente non li riprouassono. Che i priori dell' arti, & gonfaloniere della giustizia, che sono, & che per i tempi faranno all' vfcio del priorato, sieno reuocabili suoi vicari, il tempo della sua vita. I Sindaci dall' anto à voce, e à nome della Republica douessono à lui in publico sommissione, & l' vbbidienza, riconoscendolo per vero eletto imperadore. Che per tutto ciò che obligati fossero per li tempi passati infino al presente à lui, e à tutti suoi antecessori, per qualunque ragione, ò cagione dire ò nominar si potesse, & per tutte le terre, che il detto comune tiene, e hà tenute in suo contado, & distretto, prometteffono per tutto, agosto primo, in quattro paghe fiorini cento mila d'oro, che ogn' anno del mese di marzo douessono dare al detto imperadore Carlo, alla sua vita solamente, quattromila fiorini d'oro, per compensazione di censo, in quel che le città di Toscana fossero tenute di ragione all' Imperio, e oltre acciò per tutte, & singule quelle cose, le quali il detto comune per se, & per lo suo contado, & distretto dire si potesse, che all' Imperio fossero ad alcuna cosa obligati. Volse che i banditi e esuli dalla città di Firenze, per hauer adherito, ò ubbidito à Arrigo imperadore fossero rimessi, con godere delle cose loro, non gli liberando da altri bandi ò condannagioni, caso che ne hauessero per altro. Che non impedirebbe il comune & popolo di Firenze nel gouerno della città, castelli, terre, & luoghi che possedeua, gouernaua & custodiua in tutto ò parte;

parte; Nè à richiesta d' altri gli pigliarebbe l' armi contro, ò farebbe di potenza; come non farebbe nè anche precetti penali, perche rilasce i affero ò restituissero; ma amministrerebbe giustizia con citazioni, & sentenze; & tutto volse che non s' intendesse in pregiudizio delle terre & luoghi che il comune di Firenze teneva in pegno dagli Aretini, a' quali rendendo il danaro fossero restituite. Quelli furono i capitoli stipolati tra Cesare e Fiorentini, pubblicati il ventunesimo giorno di marzo nel duomo di Pisa.

## G.

*Ad Sect. II. §. VI. not. a.*

Tabulæ fœderis inter Rupertum Regem Romanorum ac Florentinos initi: ex MARTENII Thef. anec. T. I. p. 1562.

**P**uncta tractatus inter serenissimum Principem, *Dominum nostrum Regem Rupertum*, & ambassiatores Florentinos.

Inprimis serenissimus princeps *Dominus noster Rex*, pro expeditione celeriori principum, procerum, baronum, & militum secum ducentorum in Italiam, vult dono à *Florentinis servitoribus suis fidelissimis* ducenta millia ducatorum, cum quibus possit intrare Italiam, in exterminium comitis Virtutum, & pro honore imperii & *favore suæ fidelissimæ civitatis Florentinæ*; de quibus quidem ducentis millibus ducatorum, vult in *Abinania* (s. Allemania) valorem centum decem millium ducatorum, quos ipse dominus Rex reperiat a mercatoribus Alamannis, vel ab aliis: quibus mercatoribus, dicti *Florentini servitores sui* teneantur facere promissionem, de solvendo in civitate Venetiarum, dicta centum decem millia ducatorum, sub conditione, ut infra dicetur.

Item, quod dicti Florentini reliquam summam dictorum ducentorum millium ducatorum dare debeant dicto domino Regi, videlicet ducentos nonaginta millia in dicta civitate Venetiarum, vel alibi, ubi commodius & habilis fuerit domino Regi & Florentinis, pro satisfactione stipendiariorum, ad duos menses proxime futuros, incipiendos à die primæ solutionis, vel promissionis faciendæ dictis mercatoribus, videlicet cum dictus dominus noster rex fuerit in Italia cum felici exercitu suo, ad invadendum territorium comitis Virtutum hostiliter, & potenter, exclusis dolo & fraude.

Item, quod dicti Florentini, in casu necessitatis, pro tribus mensibus teneantur mutuare dicto domino Regi, usque in summam ducentorum millium ducatorum, mutuandorum de mense in mensem, prout pro rata contingit, de quibus quidem ducentis millibus ducatorum dictus domi-

nus



nus Rex teneatur & debeat facere & præstare idoneam cautionem de restituendo ad terminum, de que concordæ fuerint, dictis Florentinis.

Item, quod dictus dominus Rex concedat in forma petita, & de quo majestati suæ . . . . . coperiam, privilegium dictis Florentinis, videlicet toto tempore vitæ suæ dumtaxat, ita tamen, quod dictus dominus noster habeat censum annuum juxta quantitatem & qualitatem, prout Florentini secum concordabunt.

Item, quod promissio faciendâ, ut supra dicitur, per Florentinos, fiat sub ista conditione, si & quantum dictus dominus noster rex transeat in Italiam, anno præsentis, & habeat terminum ad transeundum in Italiam à die, qua pecuniâm receperit, seu promissio facta fuerit mercatoribus, ad unum mensem cum dimidio, tunc proxime futurum, salvo, quod si mors, quam Deus avertat, invaserit eum, ut esset in itinere præparatus cum dicto exercitu, quod tunc in eo casu promissio libera sit & firma, videlicet quod Florentini amittant pecuniâ, & dominus Rex, quod similiter Deus avertat, personam.

Item, quod dominus noster rex teneatur & debeat, pro posse delere statum, & dominium dicti comitis Virtutum, & eum totis viribus suis persequi, & ipsam civitatem Florentinam, commune, & populum Florentinum manu tenere in libertate sua, statu & donatione (*l. dominatione*) conservare.

## H.

*Ad S. II. §. eund. not. b.*

Privilegium Ruperti Romanorum Regis Florentinis concessum an. 1401. ex Msc.

**R**upertus ad perpetuam rei memoriam. Decet Regiam Majestatem qualitatem respicere *subditorum*, & illos propensiori gratiæ munere prosequi, quos devotionis & fidei constantia & toleratione laborum viderit plus mereri. Considerantes igitur dilectos filios, *populum & communionem Florentiæ*, super omnes Italiæ populos erga S. S. Rom. Imperium, ad cujus apicem Deo dante, sicut ordinati sumus, sic intendimus pervenire, *semper se fideliter habuisse*, Regibusque Rom. & Imperatoribus legitime constitutis, justeque prosequentibus captæ *devotionis officium, & obedientiæ debitum* præstitisse, nec non & imperii jura singulariter conservando, suæ libertatis thesaurum inestimabilem, non animi magnitudine solum, sed multo omnium expensarum onere, profusioneque sanguinis defendisse, non videmus cui justius omnis favor, cuique convenientius omnis gratiâ debeat. Quamobrem attendentes omnes illius populi vires & potentiam robor imperii, & fortitudinem nostram

nostram esse, terras omnes atque civitates, propugnacula, villas, provincias, & castra, quæ per dictum populum & commune tenentur, reguntur, & gubernantur, quæve possidentur, aut cum eis aliquo subjectionis fœdere inclusa sunt, aut quæ ex contractu, vel quasi contractu quopiam, testamento, codicillis, donatione tam mortis, vel inter vivos aut aliqua alia ultima voluntate, vel inter vivos titulo, quæ omnia tenore præsentium, ex certa scientia *confirmamus, & approbamus*, ad dictum populum & commune quomodolibet pertinerent, aut pervenissent, sive in quibus populus, & commune præfatum jus, custodiam vel jurisdictionem, aut præminentiam habet, & ad præsens dignoscitur obtinere, maximeque civitates, provincias, castra, terras & loca, quæ nominatim inferius describentur, eidem populo communique Florentiæ *regia majestatis auctoritate*, animo deliberato, & sano principum, procerum, & baronum nostrorum accedente consilio, & consensu, & ex certa scientia libere donamus, concedimus, & largimur, cum omnibus eorum juribus, & pertinentiis, curiis, territoriis, & comitatibus, atque districtibus, hac edictali nostræ benignitatis epistola, perpetuoque rescripto jubentes, declarantes, & decernentes, ea omnia ad eundem populum, & commune jure plenissimo pertinere, etiam si feudalìa forent, vel aliquo tempore fuisse feudalìa dicerentur, aut dici possent; non obstante, quod ad nos vel prædecessores nostros, vel ad divas augustas, vel *in fiscum, aut imperialem, vel augustalem mensam, vel cameram essent, vel dici possent quomodolibet devoluta*, vel etiam specialiter assignata, ea omnia de plenitudine potestatis, & omni via, ratione vel jure, quo melius, & validius possimus, prælibato populo, & communi, jure plenissimo concedentes, volumusque *cuncta Regalia tributa, pedagia, gabel-las, obventiones, & redditus, flumina, sylvas, & nemora, piscationes, pas-cua, & aucupia, quæ de jure solent ad fiscum, mensam, vel cameram regi-am, imperialem, vel augustam quomodolibet pertinere, nec non omnes condemnationes factas, aut faciendas, & quæcunque devoluta forent, ad regiam, augustalem, vel imperatoriam majestatem, etiam si dicerentur, vel essent, alicui, vel aliquibus, vel diviis etiam augustalibus specialiter assignata, nec non auri fodinas, sive cujuscunque metalli mineras, & the-sauros omnes, & universaliter omnia jura fiscalia, sive regalia in dicta civitate, & terris supra concessis, vel harum serie nominandis, esse pleno jure, populi, communique prædicti, & ad ipsum pleno jure legitime pertinere*, cum omni censu, præstatione, vel jure, quæ per prædictam civitatem, & populum, atque terras, supra concessas, & inferius nominandas *S. Rom. Imperio deberentur, & cum omnibus angariis & per angariis*, quæ dicto populo, vel communi, quocunque jure possunt indici, vel futuris temporibus indicerentur, quæ omnia, sicut dictum est, ad populum & com-

& commune dictæ civitatis nostræ Florentiæ plenissime pertinere volumus, & jubemus, in subsidium expensarum, quas pro defensione suæ libertatis, & status, quotidie facere cogitur & subire. *Confirmamus etiam omnia fœdera, submissiones, deditiones, & pacta, quæ dictæ terræ fecissent eidem, vel cum eodem populo, & communi, quorum tenores, hic haberi volumus pro nominatis & sufficienter expressis, ita quod in populi Florentini favorem perpetuo valeant, & plenam obtineant roboris firmitatem; Et quum, ut Ulpianus scripsit, magni faciant provinciales, suas sibi consuetudines observatas, præsentium auctoritate decernimus, & jubemus, dictam civitatem Florentiæ, suumque civitatis territorium, & districtum, & dictas supra scriptas, & infra scriptas civitates, terras, & loca, per officiales, & rectores tam cives quam forenses, per eundem populum & commune, & non per alios, quacunque fungentur auctoritate, deputatos & electos, vel quomodolibet deputandos, regi & gubernari debere, secundum formam statutorum & ordinarum dicti populi, & communis nunc vigentium, vel quæ in posterum ederentur, quæ statuta & ordina, & omnes alias quascunque leges municipales, dicti populi & communis Florentiæ, tam editas, quam edendas cum mutationibus, & correctionibus, quas faceret, vel fecisset dictus populus & commune, confirmamus, & approbamus, jubentes eas habere plenissimam roboris firmitatem. Cæterum cum rerum experientia doceat, nobiles viros, *priores artium & vexilliferos* justitiæ, populi & communis Florentiæ, qui nunc sunt, vel in posterum in officio præsidebunt, toto tempore, quo talis eorum duraverit magistratus, tam in civitate Florentiæ, quam in civitatibus, provinciis & locis supra concessis, ac etiam proxime nominandis, *regios & imperiales vicarios nostros, & imperii S. irrevocabiliter & generales constituimus, facimus & ordinamus, cum administratione plenissima, committentes eidem plenissime vices nostras toto tempore vitæ nostræ, nec non & in perpetuum, donec forent expresse per successores nostros, legitime tamen intrantes, nominatim & specialiter revocati, statuentes & ordinantes, quod dicti priores, & vexilliferi, vicarii nostri, vel aliqui alii rectores, & officiales ad regimen dictæ civitatis, & locorum eidem tenore præsentium concessorum, cogi non possunt, aut debeant, alibi reddere de suæ administrationis officio rationem, quam in civitate Florentiæ, & coram iudicibus, magistratu, vel syndicis per eundem populum, & commune deputatis ad hoc, vel in posterum deputandis, & non alibi, vel per alios quoquo modo. In quorum omnium signum, firmitatem, & robur nobilem virum Bonacursum, quondam Neri de Pictis, syndicum dicti populi & communis, ut publice constat manu Petri Serperi de St. Miniæ Florent. notarii publici pro ipso communi Florentiæ recipiente, & ipsa populum & commune**

munere in persona dicti Bonacursi *per annuli traditionem, de pradictis omnibus investimus*, auctoritate regia supra dicta & de plenitudine potestatis ex certa scientia, & proprio nostro motu, & omni via, jure nostro, & modo, quibus magis & melius possumus & valeamus, nomina vero dictarum civitatum, terrarum & provinciarum, & ipsarum designationes sunt hæc: videlicet civitas Aretii, cum omni suo solito & antiquo comitatu atque districtu, civitas Pistorii & civitas Vulterra &c. cum omnibus eorum solitis & antiquis comitatibus atque districtibus, provincia vallis Nebule, provincia vallis Arianæ, provincia vallis Arni, inferiori, terra Barglie & sumæ Coloniz, cum pertinentiis ipsarum, terra S. Miniati Florent: cum omni antiquo suo comitatu atque districtu, & specialiter cum communi & castro Collis longæ terræ, provincie Florent. in partibus Romandiolæ, & omnia quæ in dicta provincia Romandiolæ, vel Massæ Trebariæ fuisent dicto communi Florentiz relicta vel concessa, seu in quibus eis esset jus aliquod constitutum aut quomodolibet pertineret, omnes terræ quæ tenebantur, vel essent alieni juris, vel aliquorum de Waldinis . . . . . aut aliquo vel aliquibus de progenieque de Petra mala, quæ terræ forent in albus montibus, aut vallibus sive planis provincie Tusciæ, quarum omnium nomina habeantur pro expressis, & declaratis: terræ quoque collis Valliselle St. Cenniani, Martiani, Planiciei Aretii, Coretii, Castellionis Florentini, Montis politiani, Valiani, Sillani, Tapolis, Montamine, Anglaris, Fogani, & Fucignani addicatur Eucignano, Darezo & omnes terræ & loca, quæ fuisent dicto populo vel communi relicta, submissæ, vel aliquomodo concessæ, vel alteri pro ipso populo vel communi recipienti, & seu dicto populo & communitati in partibus Cisentini, quam in provincia Romandiola, Massæque Trebariæ, vel aibi in partibus circumstantibus, vel quæ ad ipsum populum & commune forent jure quopiam devolutæ, & generaliter omnia alia & singula, quæ per dictum populum seu commune tenentur seu possidentur, reguntur & gubernantur, & in quibus habent jus aliquod, custodiam, jurisdictionem, vel præ eminentiam, quoquo modo mandantes atque jubentes eis & cuilibet ipsorum & ipsarum & hominibus, personis & incolis eorundem, & ipsarum pradictis *nostris vicariis populoque & communi Florentie* *quam nobis in omnibus parcant* & intendant sub pœnis & conditionibus ordinandis seu ordinatis per ipsum populum & commune Florentiz, Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ donationis, concessionis, largitionis, ordinationis & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire sub pœna indignationis nostræ gravissimæ, quam qui secus attentare præsumserit, se cognoscat illico incursum, & sub pœna mille marcarum auri purissimi, in quas illos qui quavis temeritate contra fecerint,

cesint, siue venerint, irremissibiliter incurrere decernimus & iubemus, & eandem ab eis totiens, quotiens contrafactum vel contraventum extiterit, exigi volumus & committi, & medietatem dictarum marcarum nostri Regalis, seu Imperialis ararii siue fisci, & partem residuam injuriam passorum usibus applicari decernentes ex nunc de plenitudine Regiæ atque Cæsareæ potestatis irritum & inane, quodcumque in contrarium a quocumque fuerit attentatum, Præsentes quoque litteras nostras siue præsens privilegium durare volumus toto tempore vita nostra, & ad beneplacitum Imperii, & donec per successores nostros legitime intrantes expresse & specialiter fuerit revocatum. Decernimus quoque, committimus & mandamus, quod mox, ut fuerimus Imperiales infulas assecuti, Imperiales nostræ fieri debeant confirmatorie prædictorum. Et ex nunc intelligantur data & concessa prædicta, vel in minimo non mutata, etiam absque alia aliqua requisitione, vel . . . . nobis vel nostro Cancellario facienda. Testes hujus rei sunt venerabilis Fridericus Archiepiscopus Colonienfis, Imperii per Italiam Archi-Cancellarius. Illustres Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Bavarie Dux. Carolus, Dux Lotringiæ. Nobiles Philippus Nassau & Suraponte. Emilius de Leiningen, Regalis nostræ curiæ Magister. Gerhardus de Kirberg. Fridericus de Mörse. Jo. Frid. de Leiningen, Comites spectabiles. Sigehardus de Winsperg. Eberhardus Pincerna de Erpaden Senior, Barones. Honorabiles Conradus de Hirtzhorn, St. Stephan. Moguntinensis, Wilhelmus beatorum apostolorum Colonienfium ecclesiarum præpositi, Magister Nicolaus Perwin, sac. paginæ professor. Strenui Wipertus de Helmstat Senior, Johann. de Hirtzhorn, Johannes Camerarius de Talburg, Schilling de Fillig. Henricus de Dadenberg. Sifridus de Lapide, milites, nec non quam plures alii nostri & Imperii nobiles & fideles, Harum sub Regiæ nostræ Majestatis sigilli appensione testimonio literarum, datum Moguntiaë die quarta mensis Julii Anno Domini MCCCC. primo, regni vero nostri anno primo, Ego Rabanus Episcopus Spirensis, regalis aulæ Cancellarius, vice Reverendissimi in Christo Patris Domini Joannis Archiepiscopi Moguntini per Germaniam Archicancellarii recognovi.

## I.

*Ad S. II. §. ult.*

Extractus ex instrumento Pacis Blesis initæ inter Maximilianum I. & Ludovicum XII. Regem Galliarum, die 22. Septembr. 1504.

Quod Maximilianus Rom. Rex, contra Sabaudie & Ferrariæ Duces, Montisferrati & Mantuæ Marchiones, Dominium, Florentinum commu-

communitates Senensem, & Lucensem &c. nihil faciet aut attentabit, nisi superioritatem, honorem & obedientiam, quam ipsi debent Suxæ Majestati, & Sacro Rom. Imperio, denegaverint. Item: Ad serenissimi, & christianissimi regis Francorum petitionem, & instantiam, serenissimus Rom. rex vult indulgere & indulget, per præsentem, duci Ferrariz, marchionibus Montis ferrati, & Mantuz, Florentinis, Lucensibus, Senensibus, & domino Alberto de Carpi, & Ioanni Petro de Gonzaga, omnia quæ ab eo die & tempore, quo christianissimus rex Carolus, novissimus defunctus, primum ingressus est Italiam, usque in hunc diem, contra suam majestatem, tanquam Rom. regem, & sac. imperium commiserunt, aut quovis modo committere potuerunt &c. & quod ipsi deinceps Rom. regi & sacro imperio, sicut ceteri subditi, obediens, subditi & dediti esse debeant, & teneantur. Et si de cætero in his, quæ Rom. regi, & sacro imperio exhibere tenentur, rebelles & minus obediens erunt, aut aliquod aliud contra eum committent, quod tunc unusquisque Rom. rex aut imperator eos, secundum viam, ordinem, aut legem imperii punire possit, & in isto, neque in aliis quibuscunque principatibus, communitatibus, civitatibus, provinciis, dominiis, & jurisdictionibus totius Italiz &c. quæ Romanorum regi, aut imperio quovis modo spectantur, nullus rex Franciz unquam Rom. regi, aut imperatori, neque imperio, aliquod impedimentum inferre, neque præfatis, aut aliquibus contrariis, aut rebellibus imperii, adjumentum directe neque indirecte dare, sed de his omnibus penitus abstinere velit, & debeat.

## K.

*Ad S. III. §. II. not. a.*

**Absolutio Civitatis Florentiz, confirmatio privilegiorum, & familiz Medicez pro ducibus Florentiz constitutio, ex Mfc.**

**C**AROLUS quintus augustus, divina favente clementia Rom. imperator, ac Germaniz, Hispaniarum, utriusque Siciliz, Hierusalem, insularum Balearium, fortunatarumque, & magni orbis Indiarum &c. rex, archidux Austriz, dux Burgundiz & Galliz Belgicz dominus &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis; Postquam summa Dei opt. max. benignitate & clementia, Romani imperii cura nobis commissa est, summum semper nostrum studium fuit, ne quid damni, aut incommodi, nobis imperantibus, respública pateretur. Hinc relicta Hispania, eam potissimum ratione in Italiam venimus, ut ab his, quibus assidue vexabatur, malis, eam liberaremus, pa-

semque

eemque illi atque otium, pro bellis & seditionibus concederemus, nostroque animo, ac voluntate illa perspectis, cum depositis armis, ad nostram, & Romani imperii devotionem, atque amicitiam facile advenirent, una tantum Florentia excepta, quæ nonnullorum perditorum hominum consiliis, atque artibus, præterquam quod nobis absentibus arma in nos, & Romanum imperium ceperat, regnum nostrum Neapolitanum, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus nos advocati sumus, ditionem, armis infestaverat, nobis quoque præsentibus, animo nostro non satis perspecto, legionibus nostris portas hostiliter occludere, urbem munire, seque intra mœnia continere, atque nostram & Romani imperii auctoritatem contemnere præsumsit, ac nos, qui non ad perdendam, sed ad servandam eam urbem veneramus, quique à pristino nostro de pacanda Italia instituto, non recesseramus, tantum militibus nostris imperavimus, ut tandiu eam obsidione premerent, quousque facti pœniteret, ad nostramque, & Romani imperii devotionem veniret. Cumque post longam oblidionem fese nobis ea lege dederit, ut nos ejus regimen, gubernium, & statum, arbitrio nostro disponeremus, atque ordinaremus: nos eam civitatem in ditionem acceptam, tametsi ex causis super narratis, & quam multis aliis legitimis rationibus omnibus privilegiis, quæ a majoribus nostris Romanis imperatoribus ac regibus & sacro Romano imperio majores sui obtinuerunt, de universoque ejus dominio, atque statu, tanquam ad nos & Romanum imperium devoluto, arbitrio nostro disponere jure nobis licuisset. Cupientes tamen, ut ipsa quoque civitas clementiam nostram experiat, favore etiam atque intuitu beatiss. patris nostri Clementis VII. pontificis maximi, qui tanquam ejusdem reipublicæ salutis, quietis, & libertatis studiosissimus, pro ea intercedere dignatus est, motu proprio, & ex certa nostra scientia, firmo & deliberato animo, non per errorem, aut improvide, sed sano principum, baronum, comitum, procerum, atque aliorum nostrorum & Romani imperii fidelium dilectorum ad hoc accedente consilio, & de nostra imperialis potestatis plenitudine, eidem reipublicæ Florentiæ, quicquid in his omnibus supra dictis, & alias quomodocunque contra nos, & Romanum imperium commisit, tenore præsentium remittimus, eamque in nostram & Romani imperii gratiam recipimus, reponimus, restitimus, & reintegramus, ac si ea nunquam per ipsam commissa forent. Decernentes ac volentes, ut dicta civitas Florentina, ejusque cives, in eolæ, & subditi, hujus gratiæ, & indulti nostri vigore, ejusque beneficio, omnibus privilegiis, gratis, exemptionibus, & libertatibus per totum Romanorum imperium, & ubique locorum, & terrarum utantur, fruuantur, & gaudeant, quibus, antequam a devotione nostra recederent, utebantur, fruebantur, & gaudebant, absque ullo impedimento vel contradictione. Præterea eum summi pontificis tantum valeat apud nos auctoritas, ut nihil illi negare

gre velimus, ejus favore atque intuitu, utque Florentini suæ sanctitati & nostram benignitatem & gratiam magis ac magis agnoscaut & amplectantur, eisdem motu, scientia, animo, autoritate & potestate prædictis, *omnia & singula privilegia, jura, concessiones, exemptiones, libertates, gratias & indulta Reipublicæ Florentinæ* a majoribus nostris Romanis Imperatoribus & regibus concessa, & concessas, quibus, antequam a nostra & Romani Imperii fide ac devotione recederent, utebantur in omnibus suis articulis, punctis & clausulis, ac si his nostris de verbo ad verbum essent inserta *confirmavimus, ratificavimus, approbavimus* ac tenore præsentium confirmamus, ratificamus, approbamus, hisque universis robor & auctoritatem nostram impertimur, ipsamque rem publicam Florentinam cum Reginine a nobis inferius disponendo, in nostram & Romani Imperii gratiam, tuitionem, protectionem, & salvam guardiam suscipimus & assumimus, tuncque & assumptam esse dicimus, decernimus & declaramus, Cum autem ad perpetuam hujus reipublicæ Florentinæ *libertatem, pacem, quietem & tranquillitatem, utque in nostra & Romani Imperii devotione perpetuo* maneat, super sit, tum ratione Imperialis nostræ dignitatis & auctoritatis, ad quam spectat rerum publicarum salutem & pacem curate, tum vigore conventionis inter ill. Ferdinandum Gonzagam pro nobis interventientem, & ipsam rempubl. Florentinam, cum conditionem faceret, firmata ejusdem reipubl. *regimen, gubernium, & statum disponamus & instituamus*, & pro solito instituto nostro nihil aliud quam ejus & universæ Italix salutem, pacem, quietem, & libertatem queramus, animadvertentes rempublicam ipsam, veluti & alias complures, ejus esse naturæ atque ingenii, ut sub hujusmodi regimine & magistratu, in quo esset unus, cui ejus præcipua cura incumbat, longe melius ac feliciter regatur & gubernetur, quam ubi res & populares magistratus deserunt, quoad quamdiu ill. Medicæorum familia, quæ diu suo merito in ea republ. floruit tanquam caput regiminis supremum illius curam habuit, tum vere & publ. & privatis opibus floruisse, multumque & rei & dignitatis illi accessisse; contra vero ubi æmuloz malitia adque invidia ab ea auctoritate illa dejecta extitit, resque ad popularem factionem delata est, tunc omnia, quod novissima hæc calamitas & illius domini devastatio facile testantur, publica atque privata corruisse, & ad eam usque miseriam redacta esse, ut nisi beatissimus Pontifex ac nostra Clementia illi succurrisset, de ejus dominio ac libertate actum esset.

Cupientes ejusdem reipubl. salutem, libertatem, quietem & tranquillitatem optimi consultum esse, atque universali Italix pacem stabilire, *nostramque & Romani Imperii dignitatem & auctoritatem, ut tenemus, conservare*, ne res iterum ad popularem factionem devenire, & propterea dominium atque libertas dictæ reipubl. periclitari & opprimi valeat, eisdem motu,

scientia



scientia, animo, consilio, & auctoritate prædictis, tenore præsentium, *statuimus, decernimus, & declaramus, volumus & jubemus*, ut deinceps perpetuis futuris temporibus magistratus dictæ reipubl. eisdem modis & formis eligantur, disponantur, & instituantur, quibus antè ejectionem ipsam Mediceorum illust. familiam eligebantur atque instituebantur, utque eadem ill. ipsa Mediceorum familia, & imprimis ill. *Alexander de Medicis* dux civitatis Pennæ, cui nuper ill. Margaritham filiam nostram naturalem despondimus, *quamdiu vixerit, atque eo à vivis sublato, ejus filii, hæredes, & successores ex suo corpore descendentes masculi, ordine primogenitura semper servato, & illis deficientibus, qui proximior masculus ex ipsa Mediceorum familia erit, & sic successive usque in infinitum, jure primogenituræ servato, sit atque esse debeat dictæ reipublicæ Florentinæ gubernii status, atque regiminis caput, & sub ejus præcipua cura, & protectione ipsa civitas, & reipublica, cum universo ejus statu, & dominio regatur, manteneatur, & conservetur, & tam ipse ill. Alexander quam sui prædicti possint, & valeant, ac debeant in omnibus prædictis magistratibus, qui in præsentia sunt, & pro tempore modo, quo supra, aut aliis quomodocumque disponentur, *interesse, hisque præesse*, ac si is qui pro tempore juxta ordinem ut supra dispositum, præesse debeat, ad singulos ipsos magistratus publicis suffragiis tanquam caput electus & designatus foret. Decernentes, ac volentes, & hoc nostro imperiali edicto, perpetuo valituro statuentes, ut si quando dicta reipubl. Florentina hoc regimen, modo quo supra a nobis institutum, violare, aut invertere, aut ei quovis temerario ausu contraire audebit, tanquam nobis, ac Rom. imperio ingrata, rebellis, & in obediens, sitæque saluti, libertati, quieti, pacis & tranquillitati contraria, supra scriptis nostris, remissione, indulto, confirmatione, approbatione, ratificatione, & gratiis, aliisque omnibus, & singulis privilegiis, concessionibus, exemptionibus, libertatibus, & gratiis, eidem a prædecessoribus nostris Rom. imperatoribus, & regibus, & sacro Romano imperio, quomodolibet, & ex quacumque causa concessis, privata, atque universum ejus dominium, ad nos, & ipsum Rom. imperium devolutum censeatur, quemadmodum eam nos ex nunc, prout ex tunc, & econtra, privamus, eaque omnia & singula supra scripta revocamus, cassamus, annullamus, & cassa, nulla atque irrita, & universum dictæ reipublicæ dominium ad nos, & Rom. imp. ipso facto devolutum esse volumus, decernimus, declaramus, & pronuntiamus, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus, etsi talia forent de quibus specialis, expressa, ac de verbo ad verbum in his mentio fieri oporteret, quibus omnibus & singulis, eisdem motu, scientia, animo, auctoritate & potestate prædictis derogamus, & derogatum esse volumus per præsentem, suppletent omnes defectus, tam juris quam facti, & solennitatum omissiones, signis aut quæ forsan*

in his intervenissent, aut allegari quovis modo possent, quæ omnia & singula, ut in favorem dictæ Mediceorum illust. familiæ interpretentur, volumus & jubemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ remissionis, indulti, confirmationis, approbationis, ratificationis, statuti, decreti, voluntatis, declarationis, & institutionis paginam infringere, aut ei quovis temerario ausu, directe, aut indirecte contraire: si quis autem id attentare præsumperit, nostram & imperii sacri indignationem gravissimam, & pœnam centum marcharum auri puri, se noverit irremissibiliter, quoties contra fecerit incursum, quarum medietatem fisco nostro imperiali, reliquam vero partem, injuriam passi, aut passorum usibus decernimus applicandam, harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæs. appensione munitarum. Datum in civitate nostra imperiali Augusta die XXVIII. mensi Octobris anno Domini MDXXX. Imperii nostri XI. regnorumque nostrorum omnium XV. Ad mandatum S. Cæsareæ & Cathol. Majestatis.

L.

*Ad Sect. III. §. eund.*

**Instrumentum, quo continetur, quomodo orator cæsareus  
statum Florentinum, ad præscriptum præcedentis di-  
plomatis ordinaverit. e Msc.**

In nomine individuae Trinitatis.

**P**ER hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quemadmodum convocatis, ac personaliter constitutis in sala magna inferiori, palatii magnificorum dominorum Florentinorum excellent. dominis, dn. prioribus liberatis, & vexillifero justitiæ, populi Florentini, una cum venerabilibus collegis, cæterisque magistratibus civitatis. Quorum nomina sunt &c.

Hinc est quod in præsentia, magnificorum dn. magistratum prædictorum, nec non plurimorum aliorum civium Florentinorum, in prædicta sala magna existentium, ubi ad infra scripta audienda, & peragenda, januis apertis, & in maxima multitudine, veluti in actu publico conveuerant, personaliter existentes, & in medium assurgens magnificus vir, & U. J. D. præclarissimus Dn. Jo. Antonius Mufetola, de Neapoli, orator, nuntius, & commissarius à sacratissimo domino, Dn. Carolo V. Rom. imper. semper augusto ad infra scripta, & alia peragenda, ut dictum, specialiter deputatus, & legitima facultate suffultus, cum ea qua decuit circumspectio, non minus ornate, quam copiose, in latino sermone, ut melius ab omnibus intelligi possit, ita eloquutus dixit.

dixit. Cum idem seren. Dn. imperator, ut rebus Italix, diuturno bello non mediocriter afflictis occurreret, & pacem inter dissidentes componeret, ad effectum ut rebus pacatis, arma Christianorum in Turchas, Christiani nominis hostes, feliciter converti possent, ex Hispania in Italiam applicuisset, & cum Venetis, & aliis civitatibus & dominiis ab eo dissidentibus capitula pacis, & concordix, modum in pace vivendi concordentia iniisset:

Cum Illustri Florentinorum dominio, quod semper ipse, & sui przdecessores, Romani imperatores, peculiari quodam amore profequuti fuerunt, qui tum ab eo discordabat, & contra eum arma sumpserat, & ab obedientia, & reverentia sedis apostolicæ discesserat, & sanctissimum dominum nostrum, cum quo dudum fœdus percusserat, & ejus illustrissimam familiam, de hac excelsa republica amantissimam, sine causa expulerat, seu recedere coegerat, in eum statum, a quo expulsus, una cum ejus familia illustrissima erat, admittere & restituere negabat, per diversa media, honestatis, & concordix condiciones proponeret; sed particularium civium pertinacia, qui tunc reipubl. potius arbitrio, quam ratione regebant, & ad privatum commodum magis, quam ad publicam utilitatem, non sano consilio ducti, respiciebant, id assequi non possent; ut improborum malitiam expugnaret, & injuste oppressis subveniret, coactus fuit, licet contra ejus mentem, exercitum comparare, ac vestrum territorium armis invadere, & obsidione civitatem vestram cingere, armis infestare, ac fame premere, quo respicientes, & sua errata cognoscentes, more pii patris, qui filios errantes sepe corripit, & reductos paterna charitate avidius complectitur, benignius exciperet. Licuit eidem serenissimo imperatori, si voluisset, civium vestrorum pertinacia exigente, vestram civitatem longa obsidione oppressam, fame supra modum laborantem, omnium humanarum fere rerum auxilio destitutam, facile superare, diripere, & expugnare; sed suæ imperialis celsitudinis bonitate, ac ejusdem sanctissimi domini nostri intercessionibus delinitus, potius divino auxilio, quam humano consilio, sui exercitus milites represlit, atque continuit, quosque tandem ad cor reversi, vos errasse fatentes, saniori consilio ducti, ad capitula pacis, & concordix, cum sua Cæs. Majestate ac Serenissimo Domino nostro devenistis, illaque observare, & adimplere promisistis, & ad ea vos, & civitatem vestram obligastis. Et quia & iudicis capitulis inter alia cautum fuit, quod idem serenissimus Dn. imperator, infra certum tempus, *modum & formam, quibus civitas ipsa in posterum regi, & gubernari deberet, declararet & ordinaret*, ideo his, & aliis rationibus, idem serenissimus Dn. imperator ad civitatis vestræ, suæ curæ commissæ pacificum ac tranquillum statum attendens, sanctissimi domini nostri contemplatione, & intuitu, qui

suam hanc patriam, paterna charitate prosequitur, & illius status, ac honoris, & gloriæ incrementa summis desiderat affectibus, pro indulgentia, & remissione a cæsarea majestate, eidem reipublicæ Florentinæ faciendâ, & sæpius prælitâ, per Imperiale edictum, sive decretum, sigillo ejus aureo, ut videtis, munitum, de suæ imperialis celsitudinis suprema auctoritate, & potestate declaravit, statuit, & ordinavit; Illustrissimam familiam de Medicis, & consequenter Illustrissimum Dn. Alexandrum Medicem, ducem civitatis Pennæ, ex qua familia dux ipse descendit, ipsius serenissimi Dn. Imperatoris generum dilectissimum, ad gradum, statum, honores, privilegia, immunitates, & jurisdictiones, in privilegio contentas, etiam uti ante eorum ultimum discessum erant, recipiendos, & acceptandos, ac restitui, reintegrari, & plenarie reponi ac admitti debere, juxta tenorem ipsius privilegii & indulti.

Itemque idem Illustrissimus Dn. Alexander dux, sit, & esse debeat primus, caput, & præpositus in regimine dictæ civitatis, & in quolibet officio, & magistratu ejusdem, ad illa regenda, & gubernanda, & alias, prout, & sicut alias per legem municipalem dictæ civitatis sancitum & ordinatum fuit.

Item quum idem Serenissimus Dn. Imperator, *omnia & singula privilegia, indulta, gratias, & concessiones, per suos prædecessores, divos imperatores, Florentinæ civitati, & ejus illustri dominio concessa & facta, ac concessas & factas, ex sua mera liberalitate confirmavit, atque de novo concessit*, mandavit, jussit, & voluit, præmissa, sic per eum declarata, & ordinata, inconcussa servari, & adimpleri, atque nulli liceat illa infringere, vel eis ausu temerario contravenire, sub eorundem privilegiorum revocatione, & aliis penis tunc expressis, ipso facto incurrendis, prout latius hoc, & alia in publico documento, dicti edicti, sive decreti, quod idem magnificus dominus orator in suis manibus tenebat, & eisdem magnificis dominis prioribus, & vexillifero justitiæ, cæterisque magistratibus ibidem congregatis ostendit, ac in manibus egregii viri domini Francisci Campani, primi cancellariæ dictæ comitis tradidit, ac publice legi, ac intimari, illius formam fieri, & debitz executioni mandari petiit, latius contineri dixit.

*Vide diploma Cæsareum præced. lit. k.*

Quibus sic peractis, & dicto instrumento imperialis edicti, sive decreti, per dominum Dn. Cancellarium publice lecto, & omnibus in eo contentis diligenter discussis, & consideratis, præsentis domini excellentissimi prioris, & vexilliferi justitiæ, communicato inter se consilio, matura deliberatione præcedente, de eorum voluntate Dn. Benedictus Buonelunpones vexillifer justitiæ, nec non ipsius reipublicæ Florentinæ nomine,

DOCUMENTORUM

mine, in hæc, vel similia verba respondit: Primum omnipotenti Deo gratias egit, asserens civitatem, & populum Florentinum, qui semper cæsareæ majestati magnopere tribuit, ejusque nomen sincera fide, devotione, affectu, & religionis veneratione, semper coluit & colere intendit, observatam reipublicam, civitatem, & ejus cives è faucibus militum liberatos, pupillos, & viduas defensas, libertatem denique restitutam: & demum, ob regimini gubernii caput ejusdem, illustrissimum Dominum Alexandrum Medicem, qui possit eorum infirmitatibus mederi datum, quicquid ingenio, labore, opibus, industria, & potentia præstare possit, eidem Cæsareæ Majestati perpetuum debere: dictumque decretum, ordinationem, & declarationem & Cæs. edictum, gratanter, nomine totius civitatis recipiendo, eundem illust. Dn. Alexandrum ibidem præsentem, ac illust. Medicorum familiam in particulari, ac universali, ad gradum, statum, honores, & privilegia, immunitates & jurisdictiones, in privilegio contentas, & in quibus ante eorum ultimum discessum erant, ac cepit, restituit, & reintegravit & plenarie reposuit: ipsumque illust. Dn. Alexandrum ducem, & ejusdem serenissimi Dni. Imp. generum in primarium dictæ civitatis, ejusdemque regimini, & gubernii, ac omnium ac singulorum officiorum, & magistratum dictæ civitatis caput, præpositum, & directorem acceptavit, & illum nomine totius civitatis, & populi Florentini pro tali, & ut talem perpetuo tenere, habere, colere, & observare velle asseruit, & ita ab omnibus teneri & reputari mandavit, juxta continentiam, & tenorem dicti privilegii: promittens præfato illust. Dn. Alexandro præsentem, pro se ipso, ac ejus hæredibus, & successoribus, & eidem magnifico Dn. Johanni Antonio Oratori præsentem & pro dicta Cæs. Maj. recipientem, prædicta omnia & singula, ac omnia in privilegio prædicto contenta, perpetuo attendere, & observare, & contra non facere, dicere, vel venire, per se vel per alias submissas personas, sub quovis præfatis colore, & sub pænis, & aliis censuris in dicto præfuso privilegio contentis, & sub omni juris & facti renuntiatione, ad hoc necessaria pariter cautela: Et dicti Du. vexilliferi sermone completo, magn. XVI. Gonfalonerii societatum populi Florentini, - - - - - eorum respective locis assurgentes, & coram præfatis dominis, magnifico domino oratore cæsareo & illustrissimo duce Alexandro personaliter existentibus, in unam, & eandem animi sententiam convenientes prædicta omnia, & singula per dictum magnificum Dn. Benedictum de Buonelmontibus, vexilliferi, præfate dicta, exposita, narrata & promissa, nomine dictorum respective laudaverunt, & approbaverunt, ac rata, & grata perpetuo habere, & tenere voluerunt, & velle dixerunt, & prædictum imperatorum edictum, ut præmittitur, publicatum, & præinsertum, & omnia contenta in illo, nemine dissentiente approbaverunt,

runt, & illud gratum, & ratum, & firmum, se perpetuo habituros, nomine dicatorum respective magistratuuum, & dictæ reipublicæ Florentinæ promiserunt & convenerunt: ac prædictum illustrissimum ducem Alexandrum Medicem, ibidem præsentem, & omnia super & infra scripta pro se, & posteris suis juxta formam, & dispositionem, producti imperialis edicti recipientem, ut perpetuum caput primarium regiminis, & gubernii civitatis, & illius pacifici & quieti status, & propositum omnium & singulorum magistratuuum ejusdem, in omnibus, & per omnia, juxta tenorem præinferti privilegii receperunt, admisērunt & acceptaverunt, promittentes, & solemnī stipulatione convenientes, tum prædicto magnifico Dn. oratori cæsareo quam domino illustrissimo Dn. Alexandro de Medicis, & nobis notariis infra scriptis, ut profertur, & pro omnibus quorum interesse poterit, quomodolibet stipulantibus & acceptantibus, se perpetuo observaturos prædictum imperatorium edictum, & non venire contra illud quovis modo, sub pœnis, & aliis in prædicto Imp. edicto contentis, & non obstantibus his quæ prædictus serenissimus imperator in prædicto suo Cæs. edicto voluit non obflare, de & super quibus omnibus, & singulis, tam prædictus illustrif. Dn. Alexander Medices, nec non prædictus vexillifer, mandaverunt, & petierunt præfens fieri documentum, & instrumentum unum, seu plura.

Acta & celebrata fuerunt omnia, & singula scripta, in prædicto palatio, prædictorum magnificorum Dn. Florentinorum, & in sala magna inferiori dicti palatii, anno incarnationis dominicæ 1531. Indictione V. & die 6. mensis Aprilis P.: serenissimi in Christo patris & domini nostri, Clementis divina providentia P. P. VII. anno VIII. & præfente & assistente magna parte populi, nec non venerabilibus viris, domino Albizo . . . de Nobilibus, Clerico Floren.

Ego Johannes Juliani de Durazinis, imperiali, apostolicaque auctoritate notarius, & scriba prædictorum excellentissimorum dominorum libertatis civitatis Florentinæ, præmissis omnibus, & singulis, quæ in præfenti, & in novem aliis semper procedentibus cartis in hoc libello, simul lectis, & meo signo interlineatis descripta sunt, dum sic agebantur interfui, & agitari, ut scripsi, vidi & ascultavi, in superscripto loco, & demum de mandato magnifici Dn. Vexilliferi justitiæ, & excellentissimorum dominorum, requisitus una cum infra scriptis aliis cancellariis palatii, in præmissorum fidem, & robur, & testimonium, me subscripsi, & signum meum consuetum apposui.

M.

*Ad Sect. III. §. V. not. b.*

S. C. XLVIII. virorum Florentiis, quo vigore privilegii imperialis, Cosmus declaratur reipublicæ caput, in locum Alexandri ducis.

Die 9. mensis Januarii 1536. per conf. octovirorum Florentiæ.

**I**L Sigr. Luoghotenente, & suoi Magni. Configlieri, insieme ragunati, con li magn. Capit. del consiglio di XLVIII. inteso la subita, & inopinata morte, del Quondam Illmo Sigr. duca Alexandro di Medici, & considerato per questo la citta restar senza il capo, del suo governo, e pero volendo, quanto piu presto si puo, provvedere a quel inconveniente, acchioche la citta, è suo dominio per questo ne patisca; è considerato lo indulto, è privilegio della Maesta Casarea, altra volta concesso a sua Exza, infino l'anno 1530. di esser capo del governo della citta successivo, e dopo la vita sua, concesso similmente a piu alteri della Illna Famiglia de Medici, in detto indulto compresi, e vedendo, che in tal governo, manchando il prefato Sigr. Duca Senza figlioli legittimi, e non ci essendo inditio alcuno, che la Sigr. Duchezza sia restata gravida, dovea in suo luogo succedere secondo il tenore, di detto indulto, e privilegio, Lorenzo di Pier Francesco di Medici, come quello ch'è de piu proximi, & di maggior età. Ma per haver si luy tolto tal luogo, per esser intervenuto personalmente, alla morte del detto Illm. Sigr. Duca; pero i prefati magnif. Capit. del consiglio di XLVIII. commedi sopra, insieme ragunati, per loro solenne partiti vinto secondo li ordini, & per ogni miglior modo, che sepino e poterono, elegono e deputorono, in luogo del Quondam prefato Sigr. Duca, Alessandro, il Illmo Sigr. Cosimo, figliolo del magnif. Signor Giovanni de Medici come piu profumo, per capo, & primario del governo della citta di Fiorenza, e suoi Domini, dichiarando ch' el habbia la medesima autorità, preeminentia, & podesta concessa li per detto indulto, e privilegio della Maesta Casarea, in tutto e per tutto, con espresa riservatione, che si quondam Signora Duchessa fosse gravida, e parturissi figlio maschio, che in tal caso, habbia a seguitare l'ordine del indulto predetto di sua Maesta, è similmente quella ancora, che per alteri provisione fatte qui, della citta piu volte, al prefato Sigr. Duca Alessandro de Medici fu concessa, con quelle non di manco limitationi, è dichiarazioni, che per tutto il giorno di domani, che saranno a di Dieci del presente mese di genaro, saranno ordinati, è fatti, e vinte per partito, delli magnif. infra scritti otto capitanei, cioè . . . . . Euali, il prefato consiglio di 48. elegono,

gono, e deputerono, con autorità pienissima à fare, & ordinare le dette di chiarationi, e tutto quello che intorno accio pareffi loro necessario, per salute della città, e suo governo, bastando l'approbatione colla meta delle fave nere.

## N.

*Ad Sect. III. §. VI. lit. e.*

Excerpta ex deductione pro priori dignitatis loco, duci Cosmo, ante ducem Ferrariensem asserendo, quibus continetur summa declarationis, a comite Cifuentes Florentiis factæ, & diplomatis Cæsarei, quo illa confirmata est, Montifone ult. Sept. 1537.

(Vid. Informatione sopra le ragioni della precedentia p. 17.)

CUM excelsæ reipublicæ Florentinæ status aliquandiu, & præsertim post fata illustrissimi quondam Alexandri de Medicis, ducis Pennæ, a sinis nostri, non nihil fluctuari, atque periculo expositus, & ob id præsentis ope juvandus videretur, nos qui nihil antiquius, aut carius unquam habuimus, quam ejus status, cujus patrocinium jam olim susceperamus augmentum, & exultationem promovere, & rerum ipsius firmitati consulere, & si aliis maximis Christianæ reipublicæ negotiis eramus impediti, nolimus tamen deesse, quin ad depellendum motus, & pericula ipsi statui, & reipub. Florentinæ independentia, & ad providendum ea, quæ optimæ illius administrationi congruere viderentur, &c.

*Et poi di sotto, per il Conte di Cifuentes, commissario imperiale à ordinare lo stato di detta republica, si dice così:*

Nos cupientes virtute facultatis, & auctoritatis nobis à cæsarea majestate concessæ, quieti ac tranquillitati hujus excelsæ civitatis, & domini Florentini prospicere, atque consulere, quæ ob infaustum obitum ducis Alexandri quasi fluctuare videtur, declaramus mentem cæsaræ majestatis fuisse, & esse, hanc excelsam rempublicam fovere, & protegere, & quotidianis beneficiis, & gratiis semper afficere, ac ab imminentiibus procellis, & periculis illasam servare, illustrissimamque Medicorum familiam, prout semper fecit, paterna caritate amplecti, ac sua sub protectione fovere & conservare. Cumque ex privilegio concesso illustrissimo duci Alexandro, & Medicorum familiarum, clarè conitet, quod post obitum ducis Alexandri, absque filiis decedentis, proximior ex familia de Medicis, ad primatum, & caput gubernii, & magistratum omnium civitatis Florentinæ vocatur &c.

*Et infra.* Ob quam causam primatus prædictus ad illustrissimum  
Colum



Cosinum de Medicis, ut proximiorum ex familia de Medicis & majorem natu devotus est, ac decreto publico, & municipali edicto in *executionem dicti privilegii, & juxta intensionem Sac. Cas. Majestatis contentam in dicto privilegio*, & ad primatum, & caput reipublicæ, status, & gubernii Florentini ascitus fuit, &c.

Inherentes nos dicto privilegio cæsareo, qua fungimur auctoritate, dicimus, & declaramus primatum reipublicæ status, & gubernii civitatis & domini Florentini deberi, illustrissimo Cosino de Medicis, filio magnifici Joannis de Medicis, exclusis penitus dicto Laurentio, & ejus posteris, ut inhabilibus & incapacibus, & legitime privatis, quodque Illustriss. Cosinus de Medicis sit atque esse debeat reipubl. Florentinæ, gubernii, status, atque domini & regiminis caput, & primatus, & sub ejus præcipua cura, & protectione ipsa civitas & respublica cum universo ejus statu & dominio regatur, manuteneatur, & conservetur quamdiu præfatus Cosinus vixerit: eoque è vivis sublato ejus filii, hæredes & successores, ex suo corpore legitime descendentes masculi, ita ut tam præfatus Cosinus, quam successores prædicti possint, & valeant, ac debeant in omnibus magistratibus interesse, & præesse, ut primatus, & caput omnium prædictorum magistratuum, *possitque ex Cæsaris gratia uti & frui, ea omnimoda auctoritate; qua illustrissimus quondam Alexander tempore ejus obitus poterat & utebatur.* In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

*Seguita poi l'approbatione & confirmatione dell'imperatore dopo la inserzione di detta dichiarazione & decreto con queste parole.*

Harum præsentium tenore, ex certa scientia, non ducti errore, aut improvidentia, sed de omnibus prædictis plene edocti, animoque deliberato ac sano, *& maturo procerum nostrum, & imperii sacri fideliū dilectorum accedente consilio*, prænarratam declarationem, atque alia omnia, & singula, per sæpe nominatum comitem à Cifuentem mandatarium nostrum, ut præfertur, acta; gesta, & superius enarrata, & inserta, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, partibus, & sententiis, rata & grata habentes approbamus, ratificamus, confirmamus & auctorizamus de imperiali nostræ potestatis plenitudine, & quatenus opus est ea omnia de novo decernimus, declaramus & constituimus, ac imperiali auctoritatis, & decreti nostri roboris & firmitate munimus, & reliqua &c.

*Con le derogazioni, commandamenti, & pene amplissimamente.*

*Ad S. III. §. 10.*

Epistola Maximiliani II. Romanorum imperatoris, ad Cosmum Florentiæ ducem, qua deductis imperii, in statum Florentinum juribus, concessio tituli magni ducis, a pontifice facta, declaratur irrita. e Msc.

**I**llustrissime dux, affinis, & princeps charissime cum nobis aliquoties per dilectionem tuam scire cupere quid illam de præsentia magni ducatus Hetruriæ inaugurationem facere velimus, nos, etiam accepto præteritis mensibus sanctissimi dn. pontificis responso, ad factam longo ante tempore coram sanctitate sua, & reverendorum in Christo patrum S. R. E. cardinalium collegio insinuationem protestationis nostræ, contra ejusmodi inaugurationem præteritis mensibus, in arce nostra regia Praga solemniter modo interpositæ, ad sanctitatem suam ea scripto referri curavimus, quæ nostra ac imperii sacri necessitas, hoc loco exposcere, visa est, adeoque cum ista, cum sanctitate sua, utpote a qua asserta illa inauguratio proficitur, agere statuerimus; nihilominus tamen ad prædicti dilectionis tuæ oratoris instantiam præmittere nolimus, quin dilectioni quoque tuæ animi nostri voluntatem benigne, ac eo candore, quo in hujusmodi, & quibuscumque aliis negotiis, versari consuevimus aperiremus. In primis igitur dilectioni tuæ illud in mentem vocandum occurrit, quod sicut sanctitati ejus nullo jure licuit tale quid de Hetruria statuere, atque disponere, sic certe dilectionem tuam, tanquam nostrum, & imperii sacri vasallum, longe minus decuit, oblatam dilectioni tuæ novam illam dignitatem (si tamen dignitas dici debet, quæ indigno modo ac nulliter fit) insciis nobis, utpote Romanorum imperatoris, cui in Hetruriam superioritatis jus competere, efficacissimis rationibus, & quidem magna ex parte veteribus, & recentibus investituris probari potest, acceptare, ne dum quoad Florentiæ statum, nostram illam ac sacri imperii superioritatem, jurisdictionem, & auctoritatem non solum in dubium vocare, verum etiam inani quodam libertatis prætextu prorsus negare.

Nam cum fieri nequeat, quin dilectio tua memor sit, quo pacto, & quas ob causas, divus quondam imperator Carolus quintus &c. dominus, pater, & fover noster charissimus, augustæ memoriæ, postquam Florentiæ civitatem, quæ a majestatis suæ, & sacri imperii devotione desciverat, longa obsidione circumdam ad dedicationem adeptisset, ac imperatoris potestatis plenitudine, & inter alia eam quoque ob rationem, quo deinceps in majestatis suæ, & sacri imperii fide, & devotione, perpetuo

maneat

maneat &c. quondam ducem Alexandrum, reipublicæ illius Florentinz gubernio præfecerit: eadem civitate in gratiam recepta, ac in specialem majestatis suæ, & sacri imperii protectionem, & salvaguardiam assumpta, nec non confirmatis illius privilegiis, juribus, & exemptionibus, quæ a majestatis suæ antecessoribus Romanorum imperatoribus, & regibus, ac sacro Romano imperio, antequam a devotione ista recederet, obtinuerat; ac denique eadem superioritate sibi, ac sacro imperio ita reservata, ut si forsitan respublica, ei institutz a majestate sua regiminis formæ contraveniret, tanquam a majestate sua & sacro imperio rebelis, ingrata, & inobediens, concessa ipsi remissione, indulto, confirmatione, & privilegiis &c. privata, atque universum ejus dominium ad sacrum Romanum imperium devolutum censeret, & esse debeat, &c. quæ quidem omnia ejusdem remissionis, institutionis, & creationis literis, expressis verbis continentur. Cum dilectio autem tua, præfato duci Alexandro, eodem plene pacto successerit, sane dilectionem tuam, vel eorum omnium parum memorem fuisse credendum, *vel certe absurdum est, id a dilectione tua negari, sine quo nec prædecessoris sui, ducis Alexandri erectio, nedum dilectionis tue, vigore ejusdem institutionis ad se delata successio, valida esset, atque subsisteret.*

Quæ cum sic se habeant, ac proinde nos dilectionis tuæ nulliter factam in magnum Hetruriz ducem creationem, ac subsecutam paulo post coronationem, absque gravissima nostræ cæsareæ, ac successorum nostrorum, sacrique Romani imperii authoritatis, jurium, & præminentiz diminutione nulla omnino ratione ferre queamus, prædicto sanctissimo domino pontifici hanc nostram mentem, sacrique adeo imperii necessitatem memorato scripto fusius declaravimus: eundem obnixè rogantes atque monentes, ut hac in re talia convenientia, opportuna, & efficacia remedia providere velit, quo sublato gravi isto, ac intolerabili præjudicio, nobis ac sacro imperio, *nostra autoritas, præ eminentia, dignitas, & jurisdictio, salva, integra, & illesa maneat: retractando scilicet ea, quæ sic a sanctitate sua illegitimo modo instituta sint.* Et quia dilectio tua ex iis omnibus satis intelligit, id, quod dilectionem tuam scire cupere ejusdem orator aliquoties nobis retulit, de dilectione tua sic nobis plane pollicemur, dilectionem tuam se huic animi nostri declarationi, ut quæ ipsa æquitate nititur, accommodaturam, ac non solum sanctitatis suæ retractationi se facile submissuram, verum etiam, ubi forte sanctitas sua in eo se difficiliorem exhibere velit, eidem sanctitati suæ, ut nostris monitis locum faciat, suavorem fore: vel saltem ipsam, & dilectionem tuam novo illo, prætensi magni ducatus titulo, & nomine, quæque præterea eidem adherent, se ultro prorsus abdicaturam esse, quo sic negotio isto, in pristinum statum restituto, diversarum dissensionum,

scandalorum, & turbarum, quæ hac ex re facile oriri possent, præscindatur occasio, quod uti dilectionem tuam facturam esse omnino confidimus, sic dilectioni tuæ certo persuasum cupimus, nos in aliis omnibus, quæ, citra nostræ ac sacri imperii, jurium, & authoritatis præjudicium, & diminutionem fieri possunt, dilectionis tuæ, ac ejusdem filii illustr. Florentiæ principis, fororii & principis nostri charissimi, dignitati & commodis promovendis, pro singulari & benevolentiæ & propensionis studio, quo utramque complectimur, nusquam esse defuturos. Quod superest dilectionem tuam diu recte, feliciterque valere, optamus. Datum in oppido nostro imperiali, Duncelspuhl. 26. Dec. 1570.

P.

*Ad S. III. §. X. not. i.*

Diploma Maximiliani II. quo magni Etruriæ ducis titulum Francisco Florentiarum duci contulit. e Msc.

**M**aximilianus secundus &c. Ad perpetuam rei memoriam, recognoscimus harum serie literarum, ac universis & singulis notum facimus, quemadmodum unicus ille parens rerum, ac mundi opifex, cum mortale hominum genus, cælesti civitate donat, id ipsum non promiscue quidem, neque citra delectum facit, sed ut vel virtus, vel officia unicuiusque exposcant, & merentur, in felicissimas quemque divorum classes, & ordines digerit, atque collocat, alterumque alteri præfert; sic nostrarum quoque partium esse plane cognoscimus, terrestre hoc nobis conceditum imperium ad cæleste illud quam simillimè referre, nostraque & sacri Romani imperii beneficia, insignia & honores, pro unius cujusque dignitate, & meritis, distribuere, ac impertiri. Quo sane diligenter respexerunt divi olim prædecessores nostri, Romanorum imperatores, & reges, omni cura adhibita, ne suum a bene meritis officium desiderari paterentur, quod intelligerent illud ad sustinendam, amplificandamque gloriam, & existimationem suam maxime pertinere. Hinc est quod præclarissimo more ab iisdem divis imperatoribus, majoribus nostris accepto, nihil antiquius, nihil charius unquam habuerimus, quam principes, de cæsarea majestate nostra, sacro imperio, inclytaque domo nostra Austriaca, ac tota denique republica christiana optime meritos, maximorum honorum præmiis prosequi, & ornare, ut intelligant virtutes, egregia facta, excellentiaque merita nobis esse charissima, ac tum ipsi, eorumque descendentes & posterii, ad virtutem, ac de nobis sacro imperio, inclytaque domo nostro Austriaca, bene merendum magis etiam excitentur, tum alii etiam ad eadem studia sectanda, alliciantur & inflammentur. Ejus vero benigna: ac piæ mentis nostræ

nostræ declarandæ, amplam & idoneam nacti sumus occasione, in exponendo illast. Francisco Medices, reipubl. Florentiæ, & Senarum duce tertio. Quem quidem, tum propter animi sui egregias excellentissimasque virtutes, generisque ac familiæ Medicæ, ex qua in utraque repub. tam Ecclesiastica quam politica, multi insignes, præstantissimique heroes prodire, nobilitatem, tum *luculenta & utilia obsequia, tam nobis quam antecessoribus nostris, Romanorum imperatoribus, & regibus*, ac præmemorate inclytæ domui nostræ Austriacæ hætenus præstita, nec non maxima in universam rempublicam christianam merita, plurimi semper fecimus, ac singulari benevolentiæ affectione prosecuti sumus, adeo quod in singularis, ac vere sinceri amoris, clementiæ, & benignitatis nostræ testimonium, affinitatem secum inivimus, & utramque familiam eo vinculi genere, quod idem est omnium arctissimum atque sanctissimum, astrinximus, ipsamque in sororium nostrum cooptavimus. Cum igitur eundem ducem Franciscum, cuius in nos sacrumque romanum imperium, præclaræ, propensiæque voluntatis studium, nec non in administranda, moderandaque iustitia, ac subditis suis recte, feliciterque regendis singularis religio, virtus, atque prudentia, nobis jam diu perspecta, cognitaque est, dignum omnino censeamus, quem una cum successoribus suis, illustriori quodam dignitatis & honoris loco colloceamus, sicque insigne aliquod nostræ in dilectionem suam propensissimæ voluntatis documentum posteris relinquamus, atque insuper, præter memorata, ipsius ducis Francisci obsequia, virtutes, atque merita, generis item nobilitatem, atque splendorem, ac arctissimæ affinitatis necessitudinem animo clementissimo repetamus, quæ nobiscum ab aliquot annis per illust. Cosinum Medicem, (cuius etiam in divos quondam imperatores, Carolum quintum, & Ferdinandum, dominos, patrum, socerum & genitorem nostros charissimos, augustissimæ memoriæ, ac nos ipsos, insignium meritorum grata apud nos extat memoria, eoque postea defuncto, per ipsum filium & successorem suum præfatum Franciscum Medicem duces, de magno Hetruriæ ducatu acta sunt, *omnibusque tum sacri Romani imperii principibus electoribus in maturam deliberationem deductis*, tam supra memoratis, quam aliis iustis, & rationabilibus causis impulsu, motu proprio ex certa scientia nostra, animo bene deliberato ac sano, *nostrorum, & sacri imperii fidelium accedentè consilio ea, qua fungimur cesarea auctoritate*, ac de nostræ imperialis potestatis plenitudine, in nomine domini salvatoris nostri Jesu Christi, a quo omnis principatus, & honor promanat, eundem illust. Franciscum Medicem ducem, ejusque descendentes in infinitum, *masculos, legitimos & naturales*, ac illis deficientibus, vel non extantibus, *proximioris masculos ex Medicea familia*, in perpetuum, ut supra, omnes tamen successuros ordine *ac jure primogenii, in magnos duces Hetruriæ, eorum locorum, que ibi dem*

*ipse dux Franciscus possidet, seu ad eum pertinent, & ipsam provinciam respective, ad propriam dignitatem, nomen & titulum magni ducatus re ipsa, & cum effectu eveximus, exaltavimus, sublimavimus, & amplificavimus: ipsumque ducem Franciscum, ac dictos successores suos, ejusdem provincie Hetruriae, magnos duces vere creavimus, fecimus, constituimus, extulimus, & declaravimus, aliorumque, cujusvis provinciae magnorum ducum numero, ceteri, & consortio realiter aggregavimus, in eorumque ordinem, ac gradum pleno jure cooptavimus. Atque insuper omnia, & singula privilegia, jura, indulta, dignitates, libertates, honores, immunitates, titulos, gradus, honorantias, facultates, auctoritates, praereminentias, ac omnes & quascunque gratias, quibus alii, vere & proprie provinciarum magni duces, & principes, quavis dignitate praefulgentes, ac quacunque potestate fungentes, de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & debent, & in futurum quomodolibet poterunt, vel soliti fuerint, illis perfecte tribuimus, dedimus, tradidimus, atque concessimus, prout per praesentes eadem scientia & auctoritate erigimus, exaltamus, sublimamus, amplificamus, creamus, facimus, aggregamus, cooptamus, damus, concedimus, tradimus, & cum effectu amplissime tribuimus, decernentes, & hoc nostro Cas. edito firmissime statuente, ut posthac perpetuis futuris temporibus dicta provincia Hetruriae, una cum suis civitatibus terris, castris, oppidis, arcibus, fortalitiis, villis, locis, & juribus, ac universis, & singulis pertinentiis ab eodem illustrissimo duce Francisco possessis, seu ad eum quomodolibet pertinentibus, pro vero magno ducatu habeatur, teneatur, reputetur, tractetur, & sic idemque magnus dux Franciscus, ejusque praefati descendentes, & posteri, in magno isto ducatu successuri, ordine & modo qui dictus est, ab hac hora in perpetuum sint, inscribantur, dicantur, appellentur & nominentur, magni duces Hetruriae, ac ut alii cujuscunque provinciae magni duces honorentur, tractentur, & reputentur, ab omnibus & singulis, cujuscunque gradus, status, ordinis, conditionis, & dignitatis extiterint, tam in scriptis, quam viva voce, aut alias quotiescunque, & quomodolibet illorum mentio erit facienda, aut eorum ratio habenda fuerit, omnibus & singulis praenarratis privilegiis, titulis, honoribus, libertatibus, gratiis, & effectibus tam de jure, quam ex consuetudine, in genere, vel in specie ipsis magnis ducebus competentibus in sessionibus, celebratibus, pompis, ceremoniis, & actibus, publicis vel privatis, in quibuscunque locis ubique terrarum, etiam si aliqui alii magni duces, similesque principes, ut supra praesentes fuerint, uti, frui & gaudere possint & debeant, non quidem ad illorum instar, & similitudinem, sed pari formiter, vere, proprie, & absque ulla prorsus differentia, non obstantibus quibuscunque constitutionibus, legi-*

DOCUMENTORUM.

legibus, ordinationibus imperialibus, ac provinciarum, civitatum, & locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione imperiali, vel quavis firmitate alia roboratis: privilegiis quoque, indultis, & diplomatibus imperialibus, quibusvis personis, etiam ducibus, quibus forsitan imperiali aut quavis alia auctoritate concessum sit, quod privilegiis, favoribus, præeminentiis & gratiis, ad instar magnorum ducum, perinde ac si ipsi magni duces realiter, & cum effectu essent, uti & gaudere possint in genere vel in specie, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, & quantumcunque efficacissimis clausulis, & decretis, quomodo libet concessis, confirmatis, vel innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque tenoribus specialis, expressa, individua, ac de verbo ad verbum mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, eorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, (illis alias in suo robore permanfuris) hæc vice duntaxat, ad effectum præsentium, specialiter & expresse derogamus, totaliterque & latissime derogatum esse volumus, & decernimus: cæteris contrariis quibuscunque non obstantibus, suppletis ex eadem potestatis plenitudine, & certa scientia, omnes, & singulos defectus, tam juris, quam facti, si qui forsitan in præmissis comperti fuerint;

Volumus tamen, quod hæc concessio minime debeat præjudicare, juribus cujuscunque prætendentis dominium, super dictis locis, *Et ut porro salva sit superioritas nostra, sacri imperii, ac cujuslibet alterius,* utque omnia & singula interpretentur in favorem dictæ familiæ Medicæ. Nulli ergo hominum liceat hæc nostræ erectionis, exaltationis, sublimationis, amplificationis, creationis, dispositionis, declarationis, concessionis, decreti, voluntatis, derogationis, suppletionis, & gratiæ paginam infringere, vel ei, quovis ausu temerario, contraire: siquis autem id attentare præsumpserit, præter nostram & imperii sacri indignationem gravissimam, pœnam mille marcharum auri puri, pro dimidia fisco, seu ærario nostro imperiali, reliqua vero parte injuriam passis irremissibiliter, applicandam, se noverit ipso facto incurrisse, hæc testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & bullæ nostræ auzæ appensione munitarum.

Datum in civitate nostra Viennæ, die vigesima sexta Januarii, anno domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, regnorum nostrorum Romani decimo quarto, Hungarici decimo tertio, Bohemici vigesimo septimo.

Q  
Ad Sect. III. §. X. not. i.

Declaratio collegii electoralis an. 1582. facta, pro tribuendo duci Sabaudia digniore loco, ante magnum ducem Etruria. Ex archivis Taurinensibus edidit Sam. Guichenon *histoire genealogique de la royale maison de Savoye* T. II. p. 557.

**R**omana caesare majestati, domino suo clementissimo, principes electores, qui praesentes sunt, atque aliorum consiliarii legati, exhibent humillime exemplum hujus supplicationis, quam oratores *principis Sabaudiae* ad haec comitia ablegati, dictis electoribus & consiliariis supplicando tradiderunt, juxtaque eandem petiverunt. Itaque suam caesarem majestatem celare non possunt, quod in consultatione hujus supplicationis in memoriam revocarunt: cum caesar Maximilianus secundus, pia memoria, *communi consensu sacri imperii principum electorum*, domino Cosmo, petiti nomen & titulum magni ducis Florentiae clementer concederet & daret, in ea concessione expresse reservatum, & cautum esse, quod scilicet talis concessio sacri imperii principibus electoribus, & aliis principibus, sine detrimento erit: cum ergo de eo nullum existat dubium, sicuti dictis electoribus, & consiliariis, notum est, deque eo se declarant: Quod dux Sabaudiae sit princeps, sacri imperii ex sanguine germano ducum Saxoniae oriundus, quodque sit vicarius imperii per Italiam, ideo sentiunt justum & aequum esse, quod idem dux, etiam in dicta caesara reservatione sit comprehensus, atque ideo praecedentia ante magnum ducem Florentiae in caesarea capella, & omnibus aliis locis, eidem duci Sabaudiae competat, & ad eam admitti debeat; Quapropter ipsi praesentes principes electores, & aliorum consiliarii, caesarem majestatem humillime rogant, *ut dicto duci Sabaudiae, tanquam sacri imperii principi, praecedentiam, vigore praesatae reservationis, ante magnum ducem Florentiae in sua caesarea capella clementissime permittat*, sicuti quoque ille, tanquam a Germano principum sanguine natus princeps, & vicarius sacri imperii per Italiam, praecedentiam ante omnes Italiae principes in caesareae majestatis aula, & capella, perinde in Italia, atque in Germania semper habuit, & adhuc, vigore dictae reservationis, habere, & retinere debet. Conclusum in senatu electorum XXIII. Augusti anno octuagesimo secundo.

M. Petrus Kraych consiliarius & secretarius  
Mogunti: in fidem subscripsi.

☉ ( o ) ☽

AN  
 1318195



Handwritten text at the top of the page, mostly illegible due to blurring and fading.



L. 53.

XVIII.  
D23

BI  
X  
---